

COLL. REG. MED. LOND.
MDXVIII
O BIOC
TEXNH
BPAXYC H
ΔE
MAKPH

DELINEATIO SYSTEMATIS NOSOLOGICI NATURAE ACCOMMODATI

ABS

GUILIELMO GODOFREDO PLOUCQUET,

PHILOSOPHIAE, AC MEDICINAE D. HUJUSQUE IN UNIVERSITATI TUBINGENSI PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO.

Tomus I.

CONTINENS:

EX CLASSI PRIMA:

NEVRONUSI,

PYREXIAS, PHLEGMASIAS, ET HYPO-PHLEGMASIAS.

TUBINGAE,

apud Jacob. Frider. Heerbrandt, 1791.

PRAEFATIO.

Vulgatior Doctrinam de Morbis, eorumque curatione proponendi Methodus hucdum erat, & hic ibi adhuc est ea, quæ, differentiis genericis morborum, in capita distributorum contenta, expressam specierum mentionem & tractationem fere posthabet & negligit: Sentiunt quidem Doctores isti, Indicationes Therapevticas naturæ & indoli morborum singulorum, adeoque per se jam specificé differentium, accommodandam esse-huncque inevitabilem Methodi suæ defectum eo supplere satagunt, ut longam caussarum diversarum seriem, cuivis generi competentium confuso agmine, recenseant, moneantque,

 The-

Therapiam ad hasce dirigendam esse: Verum expediens hocce imbecillioribus tironibus, nec experientia, nec judicio practico adhuc valentibus nequaquam sufficere posse, & ficulneum ipsis præberi fulcimentum, cui in via clinica non bene credunt, quivis expertus videt, & sic longe plerique Novitii ab Academiis dimittuntur sibi dein relicti, per mortes experimenta facturi; donec experientia tandem præstantiores Magistros effecerit: Quis nostrûm, ea methodo ductorum, ut ingenue fateamur, primis Stadii sui clinici annis non centies dubius ad lectos aegrorum stetit, & ambiguus hæsit, quid agendum, quid omittendum esset, face quippe nosologica privatus, quæ in Labyrintho isto ipsi prælucere & potuisset & debuisset. Quis non centies sensit, se hallucinante sic pede progredi,

Quale

Quale per incertam lunam ſub
luce maligna
Est iter in Silvis. —

Etenim præter difficultates, etiam per absolutissimum Systema Nosologicum haud plane tollendas, quæ in abstrusa morborum natura, nec raro in impossibilitate ſanationis morbi etiam evidentissimi positæ ſunt, obversatur hic tenebrosa & chaotica confusio morborum, qui uno generico nomine comprehensi nequaquam tamen desinunt diversi, ſæpe diversissimi esse, id quod non potest non prius jam ſubsistentes difficultates ſummopere augere.

Exinde complures, lacunas hasce Rei Medicæ perspicientes óptarunt, ut tandem aliquando Medela illis admoveretur.

Nec Veteres necessitatem istam plane prætervidederunt: Transeant loca aliqua Hippocratica obscuriora, ut in Libro *περι φυσων* &c. utpote quæ, propius considerata, huc non faciunt.

Galenus autem omnino necessitatem, morbos rite distinguendi & dividendi & sensit, & indicavit, Medicos, male in eo negotio procedentes cum pravis coquis comparans, & in Lib. I. cap. 1. De arte curandi ad Glauconem, ubi textus latinus à Nicolao Leoniceno expositus est, graviter ita habens:*) „Et, cum à me exigeres

*) Græcus textus ita: „*και την αἰτιαν, ὧν ἑκαστοτε σφαλλομενους ὁρας τους πλειστους των ἰατρων, ἀξιον τι σοι μαθειν, ουκ ἐνην ἀλλως ἐνδειξασθαι. Και γαρ και τα κατα τας ἀλλας αἱρεσεις σφαλματα, και ὁσα νυν ἐπι των νοσουντων οἱ πολλοι των ἰατρων ἁμαρτανουσι, πρωτην και μεγιστην αἰτιαν ἐχει, το μοχθηρον της διαιρεσεως. οἱ μεν γαρ ἐπι των πρωτων και ἀνωτατω γενων*

geres caussam ediscere, ob quam Medicorum plurimis aberrare contingit, non aliter tibi ostendere poteram: Etenim, quæ in aliis hæresibus contingunt errata, & quæ multi Medici nunc in aegrotantium curatione delinquunt, hanc primam atque præcipuam causam habent, divisionis ſcilicet pravitatem. Quidam enim in primis & ſupremis generibus ſtant, ſolum, quæ ab illis ſumuntur, indicationibus contenti: quidam vero usque ad aliquid dividunt, non tamen usque ad finem perveniunt: Nonnulli vero etiam vitiosis utuntur divisionibus. —„ Divisiones, quas GALENUS innuit, non penitus quidem eæ ſunt, de quibus nobis

γενων μενȣσιν, ἀρκȣμενοι ταις ἀπο τȣτων ἐνδειξεσιν. οἱ δε μεχρι μεν τινος ἐτεμον ȣ̓ μην προς γε το τελος ἐξικοντο. πολλοι δε και μοχθηραις ἐχρησαντο διαιρεσεσιν. „

nobis sermo est, videmus tamen eum certe in enucleandis differentiis allaborâsse. In genere autem Veteres, nec non Arabes & Arabistæ, cum Reformatoribus & Restauratoribus etsi forte rei necessitatem senserunt, tamen expressum consilium, rem funditus aggrediendi, & systematice morbos ordinandi non dederunt, donec tandem SYDENHAMUS*) luculentius ea desideria proponeret. „ Sentio, ait, nostræ artis incrementum in his consistere, ut habeatur: 1) Historia, sive morborum omnium descriptio, quoad fieri potest, graphica & naturalis, 2) Praxis stabilis ac consummata. „Quoad priorem, pergit, expedit, ut morbi omnes ad definitas ac certas species revocentur, eadem prorsus diligentia ac ἀκρίβεια, qua id factum vide-

*) Præfat. ad opera.

videmus a Botanicis ſcriptoribus in ſuis phytologiis. Quippe reperiuntur morbi, qui ſub eodem genere ac nomenclatura redacti, ac quoad nonnulla ſymptomata ſibi invicem consimiles, tamen & natura inter ſe discreti diversum etiam medicandi modum postulant. — Esto ſane, non omnibus morbis eandem contingere varietatem, tamen complures qui — ſub eodem titulo citra ullam ſpeciei distinctionem tractantur, dissimillima ſunt indole. —

Baglivi *) eadem fere inculcavit, mutuando, ut videtur, præcipua argumenta à Sydenhamo.

Morton pariter gravius hancce negligentiam redarguit, cum ait: **)

„Aetio-

*) Prax. Med. L. II. per omnia capita, præcipue IX. §. 3.

**) Phthisiol. Præfat. circa medium.

„Aetiologia quidem, atque ex ea desumtæ indicationes videntur mihi maxime in arte nostra claudicare. Quippe jam variis titulis unus idemque morbus insigniri ſolet, ubi tamen eadem est morbi caussa, indicationes etiam eædem, atque eadem ſymptomata, ſolo gradu distincta, quod quidem in peripnevmonia & plevritide, ſatis clare conspicitur, etiam in comate, caro, lethargo, apoplexia, cæterisque ſoporosis affectibus, nec non in convulsionibus, epilepsiis, reliquisque ſpasmodicis morbis, hactenus nullis nominibus designatis, ſatis constat. Ita multo etiam frequentius in ipsius medicinæ opprobrium, aeque ac in aegrotantium ſummum damnum — plurimos variantes morbos, qui cum a diversis caussis originem ſuam ducunt, ita admodum diversis ſymptomatibus ſtipati, aeque diversas indicatio-

cationes ſubminiſtrant, methodumque curandi, quo tandem optatus eventus attingi poſſit; aeque differentem requirunt, ſub uno generali titulo, pleriſque Medicorum ſcriptis comprehenſos, atque uni, eidemque methodo accommodatos paſſim reperimus. Quum vel pene dejerare poſſim, neminem, quantumvis generali hac ſcientia inſtructum atque verſatum cum ſucceſſu felici artem ſuam exercere poſſe, donec vel ingenii ſui ſingulari acumine fretus, vel multo etiam uſu inſtructus, ex natura ipſius rei, pro diverſitate ſcilicet cauſſarum, ſymptomatum, atque ſpecialium inde deſumtarum indicationum diſtinctiorem morborum ideam ſibi ipſe formaverit, & perſpectam habuerit.„

Validius adhuc & diſtinctius rem urſere HEBENSTREIT,*) SAUVAGES,**) LIN-

*) Ordo morborum cauſſalis.
**) Noſologia Methodica.

LINNAEUS, *) VOGEL, **) CULLEN, ***) SELLE, †) DANIEL, ††) passimque alii, qui & ipsi in condendis & ordinandis ſystematibus nosologicis desudaverunt.

His autem egregiis votis & teſtimoniis non obstantibus, & ipsa re licet loquente erant, & ſunt forte adhuc haud pauci, qui vel ignavia vel invidia ducti ſalutarium istorum consiliorum de emendanda & ad gloriosum culmen perfectionis evehenda medicina Detractores se gerere non verentur.

Igna-

---

*) Genera morborum.

**) Definitiones generum morborum.

***) *Kurzer Innbegrif der medicinischen Nosologie. Einleitung.*

†) Pyretologia. Introductio.

††) Systema aegritudinum. P. I. & II. nec non in Præfat. ad novam Editionem Systematis Sauvagesiani.

Ignaviæ arguo eos, qui ideis ſemel haustis aſsueti, circulos ſuos, etsi arctos turbari aegre ferunt, curtaque ſua ſuppellectili contenti esse, quam ordinatiorem & locupletiorem ſcientiam ſibi comparare malunt.

Ignaviæ arguo eos, qui difficultatibus deterrentur, quæ quidem & multæ & magnæ ſe nobis objiciunt:

Prima earum est, vel pro tali reputari potest, quod ſystemata hucusque publici juris facta, ut verum fateamur, eo perfectionis non evecta ſunt, ut palpabilem usum vel Clinicum, vel alium præstent, adeoque prævideri posset, ad ſcopulos, quos tam eximiis viris ſuperare non contigit, etiam reliquos adlisuros & perituros esse, ac ordinationem ſpecierum naturæ consentaneam & accommodatam vix ac ne vix quidem perfectam iri.

Verum

Verum tantum abest, ut manca hæc tentamina tenacem propositi virum animo frangant, ut potius illud: Tu ne cede — ſed contra audentior ito, revocent. An, quæso, datur ulla ars vel ſcientia, quæ per prima conamina ad fastigium perfectionis pervenit? Quid ars nautica hodie foret, ſi nautæ & ipsi timidi, & meticulosis consiliis ducti, marium vastitate & incognitis terminis absterriti non nisi littorum viciniam ſemper coluissent?

Secunda difficultas a multis cernitur in enormi numero ſpecierum, quem nec Tirones nec Magistri ſine horrore perlustrare audeant:

Fateor, generum & ſpecierum numerum, in ſystemate expositorum, ſi cum prius usitatis, omnino multo paucioribus capitibus & denominationibus

nibus morborum compares, animum quidem ferire, nec negaverim, hos illosve Systematicos entia præter necessitatem multiplicasse, verum, qui perpendit, istis, genera comprehendentibus capitibus per recensionem diversarum caussarum eo ipso totidem species tacite implicitas fuisse, hasque diversas indicationes therapevticas poposcisse, is facile enucleationem, positionem, determinationem singularum specierum, Nosologo quidem omnino haud parum laboris facessentem, chaoticæ illi confusioni præferet, grataque mente accipiet. Numerus specierum nequaquam ab arbitrio Systematici pendet, cum natura ipsa eas effecerit; Nosologus eas tantummodo observat, animadvertit, consignat, hinc illis, qui multitudine earum gravantur, natura carpenda & culpanda erit, quod tantam morborum

rum cohortem terris incubituram emiſerit. Quis unquam Anatomicum, Zoologum, Botanicum increpavit, quod tot objectis occupetur, quod tot genera, tot ſpecies recenseat!

Tertia difficultas poſita eſt in nomenclatura: Si concedatur, ajunt, esse tot ſpecies, tot entia rationis, tot quoque ſingulis nomina ſingularia imponi necesse erit, & quæ immensa hinc onminum farrago emersura esset?

Omnino cuivis objecto, cuivis enti, ſi ſermo de eo esse debet, ſuum nomen assignandum eſt, quidni?

At multitudo hæc memoriam Tironum gravabit, ais; Gravatura esset, ſi nomina, indoli rei non apposita darentur: Verum nomina characteristica tantum non gravant, ut potius, cum ideas reales deſignent, excellens memoriæ adminiculum exhibe-

hibeant, iis certe, qui linguarum huc pertinentium gnari, Templum Apollineum illotis manibus non accessere. De legibus nomenclaturæ in Introductione dicetur.

Alii in ipsa ſpecierum diagnosi & anagnosi impedimenta invincibilia offendere ſibi viſi ſunt, cum Nosologo res ſit cum entibus abstractis, quorum imago & character haud facile deprehendi & figi possit: Omnino ſors Nosologi non aeque facilis & læta est, ac Anatomici vel Botanici, cum hi objecta tractent concreta, ſensibus undique obvia & pervia, constantia, observatori etiam oscitanti, commode & omni tempore in examen cedentia, ille vero persæpe invisibilia, casti demum ope ratiocinii & per artem conjecturandi detegenda, dein per operationem Lo-

gicam in unam ideam abstractam colligenda, fluxa, inconstantia phænomena ſistentia, faciem ſuam temporis momento mutantia, captare, fixa tenere, & intuitive repræsentare debeat; Accedunt difficultates ex diversis morborum faciebus, larvis & complicationibus, quæ tamen haud ſemper ſpecies vel mutant, vel multiplicant: Quæ omnia laudes ſtudii & laboris Nosologici apud aequos judices augebunt potius, quam minuent.

Quod ad invidiam attinet, absit ea! Novitas certe rei hodie quidem tanta non amplius est, ut invidiam & odium movere possit, nec ista certe est, quam ſectamur. Et ego cum BURSERIO, *) pronuncio, nos ſola rei novitate non moveri, ſed, quid verum, quid rectum, quid utile, commodum-

*) Instit. Med. Pr. Vol. III. Præf. p. IV.

dumque ſit, quærere, & ſectari, utpote quæ omnia in bene ordinata Nosologia abunde reperimus.

Taceant ergo & ſecum habitent rei tam utilis, tam necessariæ detractores, cessentque aliorum conamina impedire, quæ ipsi præstare aut non volunt aut non possunt.

Verum, quæris forte, annon harum operarum ſatis ſuperque præſtitum ſit, ut egregie injamjam paratis acquiescere iisque uti possemus? Rem nondum in eo esse, & ego vehementer doleo, & ingenue fateor, me, ſi optio data fuisset, maluisse aliorum absolutis operibus frui, quam ipsum magnum, difficultatumque plenum laborem ſubire; Præstita Antecessorum perlustrans mox videbis asserti veritatem:

Merita SAUVAGESII de Doctrina Nosologica, qui gradum & aditum ad ulteriora jecit, nemo non grata mente agnoscet; Is enim, etsi GALENI, FERNELII, SENNERTI, HOFFMANNI, & præcipue FELICIS PLATERI operibus usus, & LINNAEI consiliis adjutus est, etsi ipse in opere suo,*) cui tam egregia præcepta Nosologica præfixit, in illa ipse passim impegit, nullumque fere morbi genus non vitiose digessit, quamvis illud superfluis repetitionibus scateat, & nomenclatura sua terreat, quam Ill. BALDINGER, **) & BURSERIUS ***) redarguunt, non possumus tamen non aedificium istud Nosologicum, ut primum exstantius considе-

*) l. c.

**) Progr. Animadvers. in System. Nosol. v. opusc. p. 232.

***) Inst. Med. Pr. Vol. III. Præf. p. IV.

siderare, ex cujus etiam mendis perdiscere poteramus, quid in condendo meliori vitandum, quid aliter struendum esset.

Linnaeus *) compendiosum ſystema, verum genericum modo ſtruxit, adeoque Practico usui, & vero ſcopo minus aptum, utpote qui, prout in Introductione fusius dicetur, is est, ut per Nosologiam facilior ad formandas Indicationes Therapevticas via ſternatur, quæ autem merorum generum notitiæ vix ac ne vix quidem ſuperstrui possunt.

Vogelius **) itidem generibus modo, multo quidem numerosioribus institit, nimis forte novitati terminorum

*) l. c.

**) l. c.

rum inhians, & ſubinde aliqua ſibi indulgens, quæ acriter carpsit CULLEN *).

SAGAR **) numerosas SAUVAGESII ſpecies aliquantum contraxit & imminuit, aliqua de ſuis addidit, cæterum in longe plerisque, præsertim in adornatione generum Antecessorem ſuum ſecutus est.

Quod CULLENIUM attinet, abs hoc Auctore, tot ſubsidiorum, & operarum ante ipsum præstitarum compote, præstantius certe opus, ac id quidem est, quod composuit, ***) exspectari poterat. Nolo quidem laudes, quas Ill. BALDINGER, ****) profusa manu ipsi tri-

*) l. c. *Einleitung* p. 40.

**) Systema morborum ſystematicum.

***) l. c.

****) l. c. p. 232.

tribuit, plane derogare, verum justæ, ibidem additæ censuræ accedere non vereor, quin addo, me in opere CULLENIANO mancam ſpecierum recensionem, magnamque confusionem cernere, & definitiones genericas, florem operis ſui maximam partem abs VOGELIO mutuatas mihi videri.

DANIEL *) plurima ad juſtam Nosologiam præparavit, & affinitatem naturalem aegritudinum inquirens & proponens perspicuum reddidit, quam utile ſit, objecta ex omni parte, ex diversis ſtationibus, & ad diversas relationes considerari. Præterea opus ſuum locupleti literatura exornavit, ut valde doleam nos promissa ab ipso editione reformati ſystematis SAUVAGESIANI hactenus carere, ſi primam ejus par-

*) Systema Aegritudinum P. I. & II.

partem, primam modo classem continentem excipias, quæ paucas Auctoris correctiones continet.

Alia via incedit HEUVELL, *) uni fere ideæ omnes morbos subordinans.

HARTMANNUS, **) VITET, ***) PREYSINGER, ****) GONTER, *****) de MENGHIN, †) ROSENSTEIN, ††) & præcipué SELLE †††) nec non

STOLL

*) Tentamen Nosologicum, sistens morborum à vitio vis vitalis divisionem & dispositionem practicam &c.

**) Sciagraphia morborum.

***) Table methodique des Classes, Genres & des Especes des maladies.

****) Diss. de Diagnosi morborum capitis.

*****) Diss. Diagnosis morborum pectoris.

†) Diss. Diagnosis morborum ventriculi.

††) Morbi evacuatorii sanguinis.

†††) Pyrethologia methodica.

Stoll *) in particularibus laudandas omnino operas præstitere, uti Callisen, **) Lauth ***) & Aitken ****) in Chirurgicis. Ita quoque nullus fere est Practicus, ſive de omnibus in universum, ſive de paucis modo morbis scripserit, qui non ſuum ordinem qualemcunque ſervaverit, & certis legibus ſe adstrinxerit.

Hæc vero omnia ac ſingula iis, quæ usus clinicus abs Nosologo jure postulat, certe nondum ſufficiunt, requisitis, quæ in Introductione amplius proponentur, haud plenarie respondent, adeoque nullum certe erat, in

*) Passim in operibus, præcipue poſthumis ab Eyerel editis.

**) Institutiones Chirurgiæ.

***) Nosologia Chirurgica.

****) *Anfangsgründe der theoretiſchen und practiſchen Wundarzneykunst.*

in quo aut Tu, aut ego acquiescere potuissemus.

Dudum itaque in ſtrüendo novo Systemate Nosologico occupatus fui, ſæpissime quidem tam clinicis, quam aliis negotiis interruptus, donec tandem, prælectiones nosologicas ſuscipienti id ipsum negotium pars officii evaderet: Ita ex repetita Nosologiæ propositione academica ſystema ſensim ſensimque & ditius & ordinatius ſponte quasi enascebatur; Etenim, ſi quis unquam, certe Docens ſentiet, quid in aliquo ſtudio, aliqua ſcientia desideretur, faciliusque mendis & lacunis mederi poterit.

Aliquæ hujus ſystematis particulæ per vehiculum Dissertationum academicarum publici juris factæ ſunt, hinc inde quidem jam immutatæ.

Ab-

Absit vero, ut per cæcam arrogantiam hocce meum Systema Nosologicum, prout nunc jacet, omnibus numeris absolutum censeam; Quilibet rei gnarus me non monente novit, in ejusmodi laboribus quotidiana adhuc lima opus esse, & subinde aliquid addi, demi, alterari posse. LINNAEANUM systema naturæ tredecies, mutata semper forma editum fuit, & adhuc suas patitur alterationes, quo non obstante omnium præstantissimum hactenus censetur. Attamen, ne quid dissimulem, hoc ipsum Systema, cujus simplicem modo delineationem nucleumque impræsentiarum trado, de cujus oeconomia & legibus Introductio rationem reddet, verum, genuinum, Naturæ consentaneum, & in Praxi clinica utile, quin necessarium habeo & existimo.

Sta-

Statuant de ejus merito aequi, verum & in hoc ſtudiorum genere versati, difficultates tam ſuperandas, quam ſuperatas noscentes Judices: Pudet me fere ejus, qua & levissimæ armaturæ ſcriptores abutuntur, protestationis, me justa monita ſive privata ſive publica & honoraturum, & ad correctionem ſystematis adhibiturum esse, injusta vero, ex præjudiciis & forte invidia propullulantia neglecturum esse.

Qui fugitivis modo oculis opusculum hocce forsan perlustrat, facile ſibi persuadere posset, id non esse, nisi tentamen aliquod, nisi ſiccum catalogum, exigui, vel nullius usus:

Potuissem quidem pro omnibus ac ſingulis ſpeciebus Observationes, Facta,

Facta, earum veritatem demonstrantia allegare & citare, opusque literatura aut ornare aut onerare; Potuissem Parallelismum addere, scilicet indicationem & enumerationem specierum, ab aliis Nosologis traditarum, ita, ut singulis abs me positis istæ, quovis nomine insignitæ, subjungerentur, omissæ notarentur:

Potuissem denique ipsarum specierum descriptionem, subjuncta Therapia tradere:

Quæ omnia futuris otiis reservata sunto!

Hi autem defectus, si pro talibus reputentur, nequaquam hancce systematis delineationem sicci catalogi nomine notare poterunt, cum sperem, eos, qui animum propius & cu-

curatius ad eam advertunt, in simplici hac recensione & denominatione singularum specierum, seu, quod idem est, totidem differentium morborum characterem intrinsecum, indolis designationem, nutumque therapevticum reperturos esse.

Calci operis Glossarium, seu Clavem terminorum, sive plane novorum, abs me adhibitorum, sive & ab aliis, alio vero forte sensu usurpatorum, sive & in genere minus adhuc usitatorum, in commodum eorum maxime, quibus Græca haud tam expedite leguntur, annectere visum est.

RATIO OPERIS

ET

INTRODUCTIO.

§. 1.

Nosologia, vi etymi agit de morbis, ſcilicet veris, formatis, quales ad lectos aegrorum occurrunt.

§. 2.

Supponit illa generaliorem Pathologiam, ſive doctrinam de ſtatibus præternaturalibus, aegritudinibus, cum omni eo pertinente Terminologia, ut itaque hujus loci non ſit, definitiones Morbi, Caussarum, Symptomatum tradere.

§. 3.

§. 3.

Scopus & usus Nosologiæ is est, ut morbi, quotquot ſunt, in ſeriem ordinatam collocentur, & ſic objecta Medicinæ Clinicæ ſystematice repræſententur, ut non modo uno obtutu ſimilitudines & affinitates eorum perſpiciantur, ſed & per eam adornationem via ad indicationes Therapevticas ſternatur.

§. 4.

Completa Nosologia tradit morborum Enumerationem, Descriptionem, additque Therapiam: Animus est, hac vice non nisi primum horum momentorum exhaurire.

§. 5.

Enumeratio methodica versatur circa recensionem ipsam, denominationem, & denique ordinationem ſystematicam.

§. 6.

Fida enumeratio debet esse completa, debet omnes ac ſingulos morbos, quotqot genus humanum infeſtare ſolent, comprehendere, ita, ut una ex parte nulla ſpecies omittatur, *) & altera ex parte tam repetitiones evitentur, quam fictitii morbi excludantur.

§. 7.

Obſervatores Clinici omnium gentium & temporum Noſologo materiem

*) CULLEN Noſol. *Einleit. p. 15.* „*Keine einzige wirklich vorhandene Art der Krankheiten darf mit Recht ausgelassen werden.*

DANIEL Syſt. aegrit. I. Præf. X. „ Cæterum autem rariores etiam obſervationes attendendæ ſunt. Quamvis enim admirabilia venari non debeas, nemo tamen medicorum, ne tiro quidem evitare poteſt, quo minus ob rariores caſus conſulatur. Quo igitur tum omnes aegritudines ſufficienter dignoſci, tum rariores agnoſci poſſint, hæ omnino attentionem ſibi vindicant.

riem ſystematis præbent, é quorum universa penu hic conquirit, quicquid ad ſuam rem facere poteſt.

§. 8.

Eatenus ſystema nosologicum nititur Factis, certitudine historica.

§. 9.

Cum autem non omnis ſtatus præternaturalis, non quodcunque factum & phænomenon morboſum verum, proprium, ab aliis ſimilibus distinguendum ſpecificum morbum, ſeu, quod eodem redit, propriam morbi ſpeciem conſtituat, intereſt, ut una ex parte omnes, qui hunc characterem ſibi vindicant, etiam pro talibus agnoſcantur, & altera ex parte nullus admittatur, qui non pleno jure eo aſpirat.

§. 10.

Removendi, & ex ſerie morborum propriorum ſecundum rigorem ex-

expungendi veniunt ii, qui tantummodo ut ſymptoma alii morbo ſese associant, ut cum morbo principe ſtentque cadantque: Nexus pathologicus hæc in ſingulis casibus manifestabit.

Hoc respectu το *Symptomaticum* oppono τῳ *Idionosematico*, cum το Idiopathicum τῳſympathico contradistingui debeat, miror que, Pathologos hactenus termino pro designanda ista idea carere voluisse. Certe per integrum Systema CULLENII vel ex hoc ſolo fonte plura propullulant vitia. Verumtamen ſubinde Nosologo venia danda, cum pro perspicienda completa morbi alicujus historia & essentia, & ſymptomaticas quandoque ſpecies recenset, id quod vix evitare poterit, quamdiu ſuperiores classes morborum ſecundum Functiones læsas, adeoque quodammodo ſymptomaticé constituuntur & ordinantur.

§. 11.

Morbus proprius, ſpecificus, ſeu ſpecies morbi determinata adesse dicitur, cum Observator eum, characteribus morbi in genere dotatum in individuo, vel individuis aegris deprehendit, ita, ut iterum recurrens in *Essentialibus characteribus & praedicatis* prius observato ſimilis ſit: Ex individuis enim observationibus ſibi ſimilibus enascuntur ideæ morborum ſpecificorum, ſeu ſpecierum; De ulteriori ordinatione infra.

§. 12.

Quemadmodum enim omnibus in rebus aut ad externam formam & attributa, aut ad internam rerum indolem & naturam reſpicitur, & reſpici potest, ita & in consideratione, aestimatione, comparatione morborum aut το Exotericum, aut το Esotericum per-

perpendimus; Ex illa procedendi ratione emergunt Methodi nosologicæ artificiales, variæ, naturali, unicæ, veræ, ex altero ſpecies conſtituendi, & ordinandi modo enaſcenti oppoſitæ.

§. 13.

Limites ergo inter ſpeciem & ſpeciem poſiti ſunt in *differentiis essentialibus*, illæque his obtinentibus pro differentibus inter ſe cenſendæ erunt, etsi quoad formam externam, phænomena & ſymptomata, (quod accidere poteſt), multum ſimilitudinis inter ſe habeant. — Hæc enim extrinseca ſimilitudo ad erroneam methodum nosologicam ſymptomaticam duxit, quæ *ſpecies* morborum ad ſimilitudinem & identitatem *ſymptomatum*, utpote ſignorum in ſenſus occurrentium adornat, eo quidem fine, ut tiro filum habeat, cujus ope ex labyrinthis

 hisce

hisce ſeſe extricare possit: In hac præcisé opinione positum est fundamentum maxime perniciosorum errorum, in manifestum damnum humani generis redundantium; Etenim illa ipsa *ſymptomatum ſimilitudo, in diversis tamen naturâ morbis ſæpe obtinens* Practicos ſeducit, ut hos pro uno eodemque, ſive, quod idem est, pro eadem morbi ſpecie habeant, & therapiam, quæ diversa esse debuisset, eandem instituant. Et poterant certe isti per locum aliquem SYDENHAMI persuaderi, quod per ſymptomata via ad therapiam ſternatur, qui ita audit: *) „Non minus certò etiam á minutissimis morbi circumstantiis indicationes curativas medicus potest desumere, quam ab iisdem ſumpsit diagnostica. Atque adeo non ſémel mihi in mentem ſubiit, „ quod,

*) Præfat. p. m. 18.

quod, ſi morbi cujuslibet historiam diligenter perſpectam haberem, par malo remedium nunquam non ſcirem adferre, variis ejusdem phænomenis viam, qua mihi incedendum foret, haud dubiam præmonstrantibus; Quæ quidem phænomena, ſi inter ſe ſedulo conferantur, manu quasi ducerent ad indicationes illas maxime obvias, quæ ex intimo naturæ ſensu, non vero phantasiæ erroribus depromuntur.„

Locus hic, ſi quidem erroris eum arguere nolimus, eo interpretandus erit, ut accurata ſymptomatum obſervatio ad eruendam morbi naturam ducat, e cujus intuitu demum indicationes fluent.

Dein & ex opposita ratione ſymptomata ideo non pro fundamento condendarum & distinguendarum ſpecie-

 rum

rum inſervire possunt, quod una ſpecies ſæpe plures exhibet varietates, facies & modificationes, unde illa in ſuis phænomenis ita mutatur, ut, qui his ſolis confideret, vel ea pro hodegis ſuis agnosceret, non ſemel duas pluresve ſpecies constitueret, ubi reapse non nisi una obtinet. Probe hæc perspexit Ill. SELLE, *) qui ita: „In methodo artificiali ſæpe morbi, natura diversissimi conjunguntur. Quum enim tantum ad phænomenorum morbi ſimilitudinem respiciatur, hæc autem ſæpe ſæpius unam eandemque præ ſe ferant faciem, quamvis ex longe diversa causa emanant, facile hujus asserti veritas constare potest. — Nec minus, inversa ratione, morbi, naturâ congeneres, hac methodo disjunguntur, quoniam varia phænomena ab una eadem-

*) Pyretol. Introd. §. 27.

eademque causa materiali pendent. — Ingens numerus generum morborum, qui ex ſymptomatum ſimilitudine, nulla cauſæ indolisve morbi habita ratione conficitur, nullius in arte emolumenti esse potest.„ Aliorum gravium auctorum testimonia quoque adducit, eadem asserentium: Et tamen postea *) limitato quidem ad methodum ſymptomaticam redit, & in ipsa ſua Pyretologia typos febrium, certe ſymptomaticos, pro norma diviſionis primariæ poſuit, videns meliora, probansque, Deteriora ſequens.

Consentit quoque Albrecht Thaer, qui in præclara Dissertatione de actione ſystematis nervosi in febribus **) ita: „Cum

*) §. 29. 36. 39.

**) p. 5. n. b.

„Cum duo morbi nunquam in omnibus conveniant phænomenis, dogmatica empiria morborum genera & species ex aliqua ſymptomatum ſimilitudine disposuit. Constat vero, morbos plane diversos ſæpe in plerisque convenire; ideoque ſi nullo habito causæ respectu, morbi ob ſolam ſymptomatum convenientiam ſub eadem ſpecie comprehenduntur, eodemque nomine insigniuntur, morbosæ affectiones tota natura diversæ confundi debent. Quanti autem inde in Praxi errores! Empiricus enim, ſi in aegroto phænomena quædam observat, quæ ſpeciei morbi determinandæ ſufficere existimat, methodum ſuam ad determinatum morbum ſpecificum adhibet. An vero possibile, ut eadem remedia morbos tollant ex opposita causa ſæpe proficiscentes? Quamquam enim ſigna diversum morbi genium ostendentia ſem-

ſemper exſtent, ſæpius tamen adeo obſcura ſunt, & tam parvi momenti videntur, ut abſque ſumma attentione non animadvertantur, nec in eorum ſenſus incurrant, qui morbi potius nomen, quam ejus cauſſam & indolem eruere ſtudent. Patet ex his, in condendis morborum generibus & ſpeciebus male ad ſymptomata unice reſpici, ad rationalem vero Noſologiam cauſarum primarum inquiſitionem neceſſariam eſſe, cum aliâs ſyſtemata artificialia, non naturalia exſtruantur.„

§. 14.

Eſſentiales itaque differentiæ legem normamque agnoſcendarum ſpecierum efficientes, ubi non obtinent, etſi aliæ, forſan magnæ, in phænomenis & ſymptomatibus, in τῷ exoterico conſpicuæ differentiæ & diſſimilitudines intercedant, hæ pro accidentalibus modo

modo aestimandæ ſunt, & morbus non nisi pro una eademque ſpecie habendus erit.

§. 15.

Patet exinde, ut repetam, quam erroneum & fallax ſit, ex diversitate ſymptomatum differentes morbos & ſpecies constituere, & agnoscere: Hoc ipsum est, quod Systemati SAUVAGESIANO opprobio vertitur.

§. 16.

Quænam autem differentiæ ſunt essentiales, quæ accidentales? Essentiales ſunt, quæ ad essentiam morbi, ad prædicata ejus essentialia ſpectant, efficiuntque, ut alia atque alia morbi *indoles*, alia *natura* exinde emergat, ab alterius, etsi forte affinis, ſimilis morbi indole diversa. Nec interest, an observatæ diversitates magis minusve

ve momentosæ ſint, dummodo morbi essentiam mutent.

§. 17.

Determinandum jam est, quænam ea ſint, quæ morbi alicujus indolem efficiunt: Duo esse, existimo:

a) Sedem, ſeu affectas partes, quatenus ſtructura, mixtione chemica, & functione à ſe invicem differunt: plures enim partes, in his convenientes differentiam noṣologicam efficere non poterunt: v. c. Inflammatio oculi dextri, renis dextri, Nosologice non differt ab inflammatione oculi ſinistri, renis ſinistri. Has enim differentias ne tanti quidem aestimo, ut varietates per illas effici posse, ſtatuam, ut Cullen *) vult.

b) Po-

*) l. c. p. 29.

b) Potentiam nocentem, determinata modo in ſedem agentem, ſive ea consiſtat in materie aliqua, aegritudinem ciente, & agente per vires, aut mechanicas, aut chemicas, aut phyſicas, ſive in meris motibus, & alterationibus, in organis & viribus moventibus per vires psychicas aliasve excitatis. Sic v. c. Ophthalmia travmatica essentialiter differt ab ophthalmia biliosa, nephritis rhevmatica à calculosa &c.

Ex his collectivé, junctim consideratis componitur, & morbus, & morbi natura, indoles, ut quasi formula mathematica uti, & dicere posses, morbum consiſtere ex potentia nocente ducta in ſedem ($Pn \times S.$)

§. 18.

Nec obstat, quod in applicatione, in casibus clinicis oblatis, non ſemper exacta horum omnium diagnosis & perspicientia detur, & vel perspicaciſsimi quandoque hallucinentur, quin, quod forte haud pauca ſint, ſive ad ſedem, ſive ad potentiam nocentem, ſive ad hujus in istam agendi modum ſpectes, quæ hactenus dilucide enucleari non potuerunt: Etenim, concedamus tantisper, caussas & intimas morborum naturas, quas vero ultra modum & certos denique fines perſequi nefas est, nos ex parte adhuc latere: An ideo eas inquirere, ſectari, & quantum in nobis est, observatas, figere & deprehendere non licet? — Sufficit, nos in designatis morborum ſpeciebus ſedem affectam, potentiamque nocentem cum aliqua certitudine determinare posse, etsi modum affectionis

ctionis, intimamque naturam non semper ex asse perspectam tradere possimus: Ita vero, *variante quoque theoria*, ipsarum specierum fundamentum nondum corruet.

§. 19.

Veritas specierum, ad has leges constitutarum innititur quoque cadaverum inspectioni, & sic iterum à factis abstractam se comprobat: Quamquam enim reperta per anatomen quandoque morbi effectus ultimos aeque, ac status morbosos diu ante præsentes exhibeant, & sæpe parum vel nihil, quod lucem affundere possit, inveniatur, sunt tamen plura, quæ manifesto ut caussæ aegritudinum, ut status præternaturales ipsi agnosci debent, abs medico judicioso facile distinguenda.

Hæ

Hæ enim tenebræ ſubjectivæ, nequaquam vero tantæ, vel tam univerſales, ac quidem SAUVAGES*) contendit, nec exiſtentiam, nec Veritatem objecti tollere, nec impedire poſſunt, quo minus ſpecies morborum iisdem principiis ſuperſtruantur; Una enim modo eſt veritas, hanc ſolam ſectemur.**)

§. 20.

*) Noſolog. Method. Proleg. §. 64-66.

**) Huc facere puto eximium locum GAUBII, qui in Inſt. Pathol. Med. §. 830. ita: „Tametſi natura morbi forte lateat, aut variantes inter Medicorum opiniones ambigua ſit, ex ſyndrome tamen ſymptomatum, quibus ſtipatur, haud minus certo eundem internoſcere, ſuumque ad titulum referre licet: Nec enim poſt cognitas demum naturas denominati plerique morbi ſunt, ſed poſt impoſita nomina quæſitæ naturæ.

§. 20.

Accidentales é contrario differentiæ ſunt eæ, quæ, per extraneas conditiones, adesse, vel abesse possunt: Eæ ergo quantæcunque videantur, ut incautos quoque eo usque fallant, ut alium morbum ſubesse putent, quamvis maxime diversa phænomena & ſymptomata exhibeant, licet quoad periculum vehementer varient, quin & ſubinde eapropter aliam methodum medendi exposcant, tamen indolem morbi non mutant: E. g. Febris biliosa gastrica in uno hæc, in altero alia ſymptomata ciet, periculo differt, & pro re nata variám methodum exposcit, & tamen idem ſpecie est & manet morbus.

§. 21.

Extraneæ istæ conditiones ſunt: a) Origo, modus acquirendi, varietas caussarum remotarum, quæ Nosologos

logos toties induxit, ut ex illis diversos morbos, seu species conderent, nescii vel immemores, ex diversis fontibus eundem rivum profluere, ex diversis caussis remotioribus eundem effectum resultare posse. v c. Pnevmonitis per vinum acquisita specie non differt ab ea, quæ per saltationem exoriebatur. Ubicunque ergo in morbo aliquo unum idemque resultans, cujuscunque caussæ effectus sit, observatur, ibi ab ulteriori specierum multiplicatione vel subdivisione abstinendum, ne in vitium, à SAUVAGESIO toties commissum incurramus, qui remotis caussis inhians, tot subinde species condidit, quod istarum deprehendere poterat. Verumtamen species alias atque alias agnoscere poterimus, ubicunque principia, etsi remotiora

in ipsam genesin influxum vel effectum *singularem* habere poterant, adeoque ad melius intelligendam morbi naturam facere queunt: Eo magis istis insistendum, si forte remotiora ista principia in morbum præsentem adhuc agere pergunt, quandoquidem indicationes therapevticæ iis nituntur. Accedit adhuc, quod occasionum cognitio per ipsum systema prophylacticorum præceptorum mater sit.

b) Diversitas subjectorum, secundum aetatem, sexum, temperamentum, corporis habitum, vitæ genus, consuetudinem.

c) Magnitudo morbi, seu Gradus vehementiæ. *)

d) De-

*) CULLEN l. c. p. 28. *Die nur dem Grade und der Stärke nach von einander verschiedene Krankheiten*

d) Decursus & eventus, a tot accidentalibus pendentes.

e) Ratio diætæ & medicationis, phænomena, decursum, eventum mire mutans.

§. 22.

Hæc omnia efficiunt varietates morborum, cum differentiis ſpecificis non confundendas, quippe quæ rei eſſentiam tangunt, uti iſtæ eam intactam linquunt, & tantummodo modificationes ſpecierum efficiunt.

§. 23.

Conspicuæ ſunt præſertim hoc ſensu *Facies* diverſæ, quæ unum, vel plura ſymptomatum præſertim ex genio epidemico ita mutant, ut incautus & obiter obſervans ſpecierum diverſitatem ſubesse putet. *)

§. 24.

heiten ſind blos als Abänderungen (varietas) *von der nemlichen Art anzusehen.*

*) SYDENHAMUS eas probe noscebat, cum in Præ-

§. 24.

Hæc obtinent modo per universum morbi decursum, modo non.

§. 25.

Præfat. p. m. 15. ait: Sæpe accidit, ut facies morbi variet — adeo, ut eodem morbo laborantes, sed varia methodo tractatos, varia etiam symptomata exerceant. „

Bene etiam rem expressit EYEREL in Comm. ad STOLLII aphor. de febribus p. 29. „Versatur medicina clinica circa morbos particulares, prout in natura occurrunt, hique ejus objectum sunt. Medicina clinica diagnosi, prognosi, & therapia speciali constat. In morbis particularibus Medicina clinica omnium primo definit ad quam speciem morbus oblatus pertineat. Formas accidentales morborum, seu varietate in una eademque specie morbi infinitas videbimus. Difficultas autem maxima est, quod hæ formæ accidentales, seu varietates medicum sæpe decipiant, ut is putet, tot esse diversa species quot formas; sunt autem formæ ejusdem morbi tot, quot aegri eo morbo teneantur. „ — & p. 16. „Febrem biliosam mirabimur, mille formas ludentem, & eodem in theatro diversas personas agentem; etenim mod

§. 25.

Quodsi hæ facies ita comparatæ ſunt, ut ſymptomata *alius* morbi, ſive genere, ſive ſpecie diverſi exhibeant, ſuo jure vocantur *larvæ*, morbusque est larvatus, id quod, cum ſymptomata iſta urgent, eminent, erroribus maximis viam ſternere ſolet.

§. 26.

Ad varietates quoque referre possunt diverſæ illæ ſcenæ, quas idem ſpecie morbus pro ratione individuorum, v. c. in paroxysmis hystericis ludit.

§. 27.

modo caput impetet &c. — Hæc tanta ſymptomatum varietas, hic lusus varius ejusdem morbificæ causæ, eos omnes mirifice ludet, qui verſatile ejus ingenium penes ipsos ægrotantium lectos non fuerint edocti, mirifice illos ludet, qui nominibus morborum contenti res ipsas negligunt.

§. 27.

Ad eas autem non pertinent ſtadia, quæ in determinato curſu morbi alicujus obtinent, & pro diversis ejus temporibus determinata phænomena & mutationes ſiſtunt.

§. 28.

A varietatibus alienæ quoque ſunt morborum mixtiones, compoſitiones, complicationes, quæ, ſi conſtantes ſunt & evidentes, indolem morbi adeo mutant, ut nova ſpecies inde emergat, v. c. peripnevmonia biliosa. Eas vero omnes ac ſingulas exhaurire vix poſſibile eſt, cum fere in infinitum extendantur.

§. 29.

Secundum hæc principia conſtituti & agniti morbi, ſeu ſpecies morborum aptis deſignandæ ſunt nominibus.

§. 30.

Quamlibet nomina & termini valeant ut nummi, & fixa semel significatione eorum adiaphorum videri possit, quas ad leges nomen conditum, & ex quonam etymo depromptum fuerit, tamen Onomatoclesia, Onomatographia, Nomenclatura, si ullibi, certe in Nosologia maximi est usus & momenti, cum id agatur, ut nomen cujusvis morbi, vel speciei adeo characteristicum & significativum sit, ut eo audito, linguæ & rerum tantillum gnarus mox intelligat, quænam sit morbi denominati indoles.

§. 31.

Dummodo nomina imposita hujus sint dignitatis & usus, parum morari nos poterunt, quæ Detractores circa τὸ novum, insolitum, barbarum harum denominationum objiciunt. Etenim

ſola novitas terrere non debet, uti e contrario nova absque neceſsitate, & mero novaturiendi ſtudio condita nomina non admittenda ſunt: GALENUS novaturientes in denominationibus ita perſtrinxit:*) „Hæ quidem igitur univerſæ

---

*) De difficili reſpir. L. I. c. 2. interpreta JANO CORNARIO. Textus græcus ita ſe habet: αὗται μεν οὖν πασαι δυσπνοιας ἁπλαι διαφοραι, και ταυτ᾽ αὐτων τα ὀνοματα, τοις τε ἀλλοις παλαιοις συνηθη, και Ἱπποκρατει. εἰ δε τις ἑτερως ὀνομαζειν ἐθελει, καθαπερ ἤδη τινες των νεωτερων ἰατρων, οὐδεν ἡμιν διαφερει. πλην ἰσω γε οὗτος, μη τε τοις Ἱπποκρατει συνηθεσι, μη τε τοις ἀλλοις παλαιοις, μητ᾽ ὁλως τοις ἀλλοις ἑλλησιν ὀνομασι χρησαμενος, ἀλλ᾽ εἰ και τουτων καταφρονειν, μητε κυριως, μητε σαφως ἑρμηνευων. — πολυ γαρ οἶμαι σαφεστερον, ἐν ἑκατερῳ των πραγματων ὀνομα θεμενον ἰδιον, ἐκεινα καλειν διαπαντος, εἰδοτα γε ὡς τα κοινα των ὀνοματων οὐδεν μαλλον γε το ἑτερον τουτων δηλουντα, συγχει και ταραττει τον ἀκροατην, ὡς μη γνωναι τι ποτ᾽ ἐστι το λεγομενον, πριν διαστειλασθαι την ὁμωνυμιαν. εἰ δε ἐν μεν ἑκατερῳ των πραγματων ἐπιφερει τις ὀνομα, — οὐκ οἶδ᾽ ὅτι βουλοιτ᾽ αὐτῳ τοις ἀκυροις τε και ἀηθεσιν ὀνομασι

versæ ſunt ſimplices respirandi diffi-cultatis differentiæ: Atque hæc ſane ipsarum nomina, tum priscis aliis Medicis, tum Hippocrati in usum recepta. Si vero quispiam aliter appellare velit, quemadmodum jam quidam ex recentioribus medicis ſolent, nostrâ nihil interest. Verum ſciat hic, quod neque Hippocrati familiaribus, aeque & aliis Veteribus, immo nec aliis Græcis aut Latinis usurpatis Nominibus utatur: Et ſi hos negligit, aut contemnit, neque proprie, neque perspicue interpretatur. — Multo enim lucidius esse opinor, utrique rei ſeorsim unum nomen, ipsique proprium indere, eoque

ὀνόματι πρὸ τῶν κυρίων τε καὶ δι' ἔθους χρῆσαι. — εἰ δέ τις, ὡς ἔφην οὐχ οὕτως, ἀλλ' ἑτέρως ὀνομάζειν ἐθέλει, μήθ' Ἱπποκράτει, μήτε τοῖς ἄλλοις παλαιοῖς, μήθ' ὅλως τοῖς Ἕλλησιν ἑπόμενος, ἀλλὰ μὴ δὲ τοῦ σαφοῦς καὶ ἑρμηνείας φροντίζων, ἐκείνῳ μὲν ἐπιτρεπτέον νικᾶν νίκην καδμείαν.

eoque perpetuo uti, cum ſciat, quod communia nomina, quæ alterum non magis, quam alterum ſignificant, auditorem confundunt & perturbant, ut non cognoscat, quid ſit tandem, quod dicitur, priusquam aequivocatio distinguatur. Si vero unum etiam utrique rei quis imponat nomen, — haud ſcio, quid ſibi velit per impropriorum & insuetorum nominum usum, quam pro propriis & consuetis inducit. — Quod ſi quis non ita, ſed aliter nominare velit, neque Hippocratem, neque alios Veteres, neque omnino Græcos aut Latinos ſequi dignatus, immo nec manifestæ interpretationis curiosus, illi permittendum est, ut Cadmeam victoriam vincat.„

Verum, enim vero, ubicunque ſpecies morborum emergunt, quibus aut nullum hactenus nomen impositum erat, aut

aut quæ nomina habebant obscura, inepta, inadæquata, erronea, aequivoca, illis nova, alia, adeoque inusitata hactenus, modo vero justa nomina danda esse, non licitum modo, ſed & necessarium esse, patet.

Nomina composita & decomposita, quibus tamen, ut confusiones evitentur, opus est, horrorem movent iis præcipue, qui græcæ linguæ ignari ſunt; & ex his aliqui autorem eorum odio & conviтiis excipere ſollent; Quæ quanta injustitia! Anatomico, ſcriptori historiæ naturalis ſua conceduntur nomina, latina, græca, quæ velit, & certe haud raro ſesquipedalia, *) prout nimium res ipsa postu-

*) Certe in Nosologia universa vix ac ne vix quidem nomina reperies, quæ verbis: musculus ſphænosalpingopharyngeus, pterygostaphylopha-

postulat, at nosologo analogus modus procedendi vitio vertitur?

Ut nemo in ſeſe tentat descendere, nemo!
At præcedenti ſpectatur mantica tergo.

Græcarum & latinarum literarum notitia etiam ideo medicinæ tironibus ex omni tempore necessaria reputata fuit, ut nomina græca, vel græcæ originis non rudi & invitæ memoriæ imprimant, ſed & eorum ſignificationem intelligant, & ſic per illa ipsa ad pleniorem & faciliorem cognitionem rei ipsius, utpote quam ipsam illi termini exprimere ſupponuntur, ducantur. Nominum itaque, etsi græcorum impositio ab iis modo vituperabitur, qui veritatem proverbii:

Ars

lopharyngeus, ſphænosalpingostaphylinus &c. æquiparari possint.

Ars non habet osorem, nisi ignorantem,

ſuo exemplo comprobare non erubescunt. Et illis, quibus nomina ſcientifica, ex linguis eruditorum depromta barbara videntur, OVIDIANUM illud occinatur:

Barbarus hîc ego ſum, quia non intelligor illis.

§. 32.

Quod linguam & etymos attinet, nomina in opere latino latina ſint, quantum res ipsa permittit: Cum autem Græcia quasi Patria Medicinæ ſit, & termini, olim abs Græcis conditi plurimam partem à Romanis recepta fuerint, quin etiam in idiomata aliarum gentium transierint, lingua mixta ex Græca & Latina adeo communis usus est per omnes medicinæ & affinium ſcientiarum partes, ut etiam

etiam Nosologus pleno jure eam adhibere possit. Linguæ græcæ ubertas, & flexititas, quibus dotibus Romanam longe superat, frequentiorem quoque ejus usum exiget, præsertim in nominibus specificis, ubi exactiori definitione, & sæpissime comprehensione ac collectione multarum idearum in unum verbum opus est.

§. 33.

His auxiliis adjuti adæquata nomina sive generica, sive specifica invenire poterimus, quæ præter τὸ characteristicum supra requisitum sequentibus adhuc prædicatis gaudere debent:

§. 34.

Sint nimirum:

a) Clara atque distincta: Fas autem est, supponere linguarum notitiam, præsertim græcæ, utpote quam & tirones callere debent.

b) Uni-

b) Univoca, ne confusio oriatur.

c) Una, ut soli huic objecto competant, quod designant, adeoque cuique diverso morbo diversum nomen imponendum, nec uni plura. Synonyma tamen adjicere juvat, tam ea, quibus aliæ gentes, quam illa, quibus alii auctores, si quidem differant, utuntur.

d) Nova, pro novo morbo, & quoties antiquum nomen requisita modo dicta non habet: Honoranda quidem sunt nomina universaliter quasi recepta, & ineptum foret, novitati nominum nimis inhiare, verumtamen magis adæquatum minus apto quidni substituamus, cum tiro nomen præstantius aeque facili opera discat, ac minus conveniens. Antiquitatem nominum nimis revereri videtur ex neotericis

BursERIUS, qui ita: *) „Quod ad nomina attinet, ea plerumque retinui, quæ jamdiu usu recepta ſunt, atque in ore plerorumque medicorum à multis jam ſeculis versantur — eo quidem consilio, ut quæ inter nos & majores illos conjunctio, & affinitas intercedere debet, nominum mutatione nequaquam dissolveretur. „ Hic autem metus diligenti ſynonymorum appositione & citatione Veterum, ut & literaturæ ſtudio facile tolletur.

§. 35.

Itaque & ſubinde nova verba componere licebit; GALENUS **) veniam his

*) Instit. Med. Pr. Vol. I. Præfat. XI.

**) Meth. Med. I. cap. 5. Textus græcus hic est: και γαρ ἐι σολοικιζων ὀνομαζοι προς γε την αυτην του πραγματος ἐπιστημην, οὐδεν τουτο βλαπτει. μονον ἐι καθ' ὁτου πραγματος φερει τουνομα διηγησοιτο σαφως, ἐν τουτῳ γαρ ἐστι το κυρος της διδασκαλιας.

his ausibus dat ſequentibus: „Quando etiam ſi quis ſoloecismum committens nominet, ad rei ipsius ſcientiam nihil id afferet incommodi, modo, de qua re nomen pronunciet, clare explicet, in hoc enim doctrinæ præcipua vis est.“

§. 36.

E contrario nomina emergunt vitiosa, quæcunque requisita recensita non habent, vel aliis laborant vitiis, qualia optime monente SAUVAGESIO *) ſunt:

a) Metaphorica, ut cancer.

b) Psychologica, ut appetitus, furor, &c.

c) Physiologica, ut mictus, fames, fluxus, vigiliæ.

d) Clas-

*) l. c.

d) Classibus, ſummis generibus competentia, in applicatione ad genera, ſpecies.

e) Composita ex verbis pluribus; ſcilicet quatenus id ſive genus, ſive ſpeciem designare debet: Appositum ſpeciei genus, generi ordo, classis &c. omnino plura verba exposcit: Ope linguæ græcæ tædiosæ illæ compositiones ex pluribus verbis feliciter evitari possunt.

f) Pluralia, cum omne nomen ſingulare esse debeat.

g) Deceptiva, veritati contraria.

h) A principiis, ſive caussis remotis desumta.

i) Natalia, utpote quæ non ad indolem pertinent.

k) Spurios nothos morbos vocantia, quippe quasi ſideroxyla.

l) Ab

l) Ab anni temporibus desumta.

m) Morbi vehementiam ſeu gradum modo experimentia.

n) Privativa, ſive quibus verbum *defectus* præponitur, valent tamen, quæ per α privativum inchoant.

o) Tropica, rhetorica.

p) Sesquipedalia, quæ tamen non ſemper evitari vel vituperari possunt.

§. 37.

Quamvis ſcopus noster hactenus circa *Nosographiam* ipsam non versatur, juvat tamen, hic, poſt Onomatologica præcepta inserere, quid ad eam requiratur: Plena enim ſignorum & ſymptomatum enumeratio, utpote quibus, collatis inter ſe tam anamnesticis, (quorum pertinent evidentes causæ morbificæ, quas ideo CULLEN l. c. p. 35. inter characteres morborum refert),

quam præsentibus ut fidis hodegis ad divinandam & dignoscendam morbi speciem utimur, Nosologo aeque ac Practico summe necessaria est.

§. 38.

Nosographia completa, quæ & generibus & speciebus morborum aeque conveniat, sollicitam & accuratam descriptionem ab eorum initio usque ad finem tradere, & omnia morbi prædicamenta saltem historice complecti & absolvere debet. Eam, quatenus characteres morborum tradit, ut summe necessariam urget CULLEN. *) Addit idem momentosum monitum, **) carpens Nosographos, qui omnia illa symptomata ac phænomena, quæ in morbo aliquo, apud diver-

*) *Inbegr. der med. Nosol. Einl. p. 4. u. f.*

**) ibid. p. 8.

diversos aegros, & diversis temporibus, diversis in epidemiis unquam occurrerunt, in unam imaginem compingunt, pathognomonica & essentialia ab accidentalibus non distinguentes. Ut hæc vitia vitentur, juvat, post consuetorum ſymptomatum recensionem, prouti apud plerosque ea morbi ſpecie captos obtinent, ſubjungere minus ſolita, ſingulares observationes, diversas facies, ſcenasque allegare, denique complicationum & compositionum mentionem facere.

§. 39.

Itaque præter τὸ mere historicum, quatenus ipsissimam morbi historiam exhibet, etiam ſpeculationes theoreticæ circa eum à variis factæ recenseri, nec non diversæ methodi medendi, tam dextræ, quam ſinistræ commemorari possunt: Sic experientia præit rationi, & ratio innititur experientiæ.

§. 40.

Ex quibus præmissis Doctor Nosologiæ ipsam morbo, ſpecifice determinato convenientem therapiam facile eruet, & addito forte ratiocinio pathologico, τῷ historico ſubjunget.

§. 41.

Agitur itaque Nosographo de fida enumeratione omnium ac ſingulorum phænomenorum morbosorum, ſive ſymptomatum, in homine aegrotante observabilium, & quidem per universum morbi decursum, inchoando à prodromis.

§. 42.

Prodromi nempe, (ſigna terrentia) ſunt, qui morbum imminentem per ſigna aliqua, mutationes morbosas nunciant, eumque præcedere ſolent.

§. 43.

Pertuntur hæc ſigna, perinde ac morbi ipsius formati per omnia ejus ſtadia usque ad finem.

a) Ex aegri ipsius ſensationibus.

b) Ex læsione functionum, ſive ipse aeger eam observet, ſive non.

c) Ex ſic dictis qualitatibus ſensibilibus.

§. 44.

Sensationes præternaturales morbosæ ſunt:

1) Dolor.

Consideranda circa eum, uti reliquas ſequentes ſensationes:

a) Sedes: adeoque pars dolens. ſedes fixa, vaga.

b) Modus: an distendens, gravans, ſtringens, contundens, pulsans, lancinans, osteocopus, ſcindens, pungens, terebrans, rodens, mordax, urens aliterve modificatus ſit?

c) Gradus: mensurandus ex aegri denunciatione, ejulatione, gestibus, ſitu, desperatione, accedentibusque ſymptomatibus aliis, ut convulsione, delirio, deliquio.

d) Duratio: ex quo tempore, an continuus, remittens, exacerbans, intermittens, periodicus ſit.

e) Quænam ſolatia admittat? An pressionem, ligaturam, calorem, frigus, frictionem, agitationem, palpationem, ſcalptionem, cruentationem, ſitus mutationem.

2) Pruritus.

3) Formicatio.

4) Sensus aquæ ſtillantis.

5) Dysphoria universalis. *Krankheitsgefühl. (Wehſeyn).*

6) Sensus lassitudinis. Gradus diversi.

7) Sensus inanitionis, vacuitatis.

8) Sen-

8) Sensus expansionis, dilatationis.

9) Stupor partis alicujus, pluriumve.

10) Anxietas. Apud eam notanda: Gradus, duratio, periodus, tempus, circumstantiæ aggravantes, & levantes.

11) Sensus caloris, aestus. Gradus, continuitas, ut apud dolorem.

a) universalis.

b) particularis.

12) Horripilatio, horror, rigor, frigoris sensus.

a) universalis.

b) particularis.

13) Permutatio subitanea aestûs & frigoris.

14) Permixtio sensationis utriusque.

15) Sensibilitas nimia ad calorem, vel frigus.

16) Sen-

16) Sensibilitas aucta, circa varia, pleraque objecta.
a) universalis.
b) particularis.

17) Sensibilitas, imminuta, ſuspensa, deleta.

18) Irritabilitas aucta in musculis.

19) Irritabilitas imminuta.

20) Visio molesta, dolorosa.

21) Visus hebes, deletus.

22) Visus depravatus, alteratus, Psevdhorasis.

23) Auditus mutationes, ut ad visum.

24) Gustus mutationes. Sapores peregrini, insoliti, cum vel ſine occasione cibi potusve.

25) Siccitas oris, linguæ, palati, labiorum.

26) Odoratus mutationes, uti gustûs.

27) Na-

27) Nares ſiccæ, humidæ.

28) Tactus alterationes, pseudæsthesia.

29) Inquietudo, astasia, jectigatio.

30) Inquies ſensorii interni: cogitationes præter voluntatem ſe offerentes.

31) Conscientia ſui non plenaria, interrupta, (ſcilicet in vigilante).

32) Deliria, variarum facierum, variæ durationis, varii gradus, quorsum:

a) Insolita alacritas, hilaritas.

b) Loquacitas.

c) Sermonis impetuositas.

d) Impetuositas in capiendo cibo & potu.

e) Mussitatio, murmuratio.

f) Risus, fletus ſine conscientiâ.

g) Timor, pavor.

h) Fu-

h) Fuga, ambulatio inconcinna.

i) Carphologia.

k) Decubitus insolitus, impudicus, denudatio partium, remotio tegumentorum.

l) Perversa imaginatio, psevdophantasia cum vel ſine rectificatione.

m) Furor ipse.

n) Vitia judicii.

o) Vitia memoriæ.

p) Anoea.

q) Ecstasis.

33) Ratio morum & pathematum: quorsum: animi demissio, ſpei abjectio. Tædium vitæ, incuria circa res ante amatas, indifferentia, irascibilitas, facilis terror &c.

34) Vertigo.

35) Som-

35) Somni ratio.
nimius, nimis parcus,
inquietus, interruptus.
non reficiens.
intempestivus.

36) Somnia.

37) Somnambulatio.

38) Appetitus imminutus, deletus, nausea, circa
Esculenta, potulenta,
Tabacum, venerem.
Auctus, fames. sitis.
Alteratus, vario modo.

§. 45.

Observantur præterea:
Motus, vitales, animales, quorsum:

39) Cordis motus ratio. Palpitatio, tremor.

40) Pul-

40) Pulsus.

Vibrationes visibiles carotidum, temporalium.

Qualitates tangibiles, quales semiotica docet.

41) Respirationis mutationes.

42) Tussis. Tempus, gradus, reliqua prædicamenta.

43) Sternutatio.

44) Risus, fletus involuntarius.

45) Suspiria.

46) Oscitatio.

47) Vocis alterationes.

Aphonia,

Vox rauca, nasalis, aliove modo alterata.

48) Loquelæ mutationes.

Balbuties &c.

49) Mo-

49) Motuum reliquorum affectio.
a) Virium muscularium excessus.
b) Earundem defectus, asthenia.
c) Pandiculatio.
d) Spasmi, tonici, clonici.
Universales, particulares.
e) Stridor dentium, per somnum, delirium.
f) Tremor.
Universalis, particularis.
g) Singultus.
h) Subsultus tendinum.
i) Erectiones.
k) Deliquia: Gradus, duratio, circumstantiæ.
l) Motus artuum.
Imminutus, abolitus.
m) Motus oculorum, rotatio, aspectus truculentus, stupidus, fixus.
n) Manducatio læsa.
o) Deglutitio læsa, præclusa.

§. 46.

50) Ratio digestionis, an eo tempore pressiones, pyroses, irascibilitas.

51) Egestorum ratio, circa

quantitatem, qualitatem, modum egerendi, tempus, frequentiam.

a) Alvus, an ſponte, an inscio, invito?

an per vias naturales? an dolorifice? quoties, quando?

b) Urina. Cujus mutationes docet Semiotica.

c) Sudor.

d) Transpiratio.

e) Mucus, pituita, an coɛta, cruda?

proveniens per nares, os, urethram, vaginam.

f) Sa-

f) Saliva.

g) Lac. Rationes, ſimul constitutio mammarum, papillarum.

h) Semen.

i) Sanguis.

k) Pus. ichor.

l) Aër, flatus, quâ viâ.

m) Vomitus, vomituritio.

n) Eructatio.

o) Vermes.

p) Partes ſolidæ, peregrina, inſecta.

§. 47.

52) Sexus functiones.

a) Impotentia, ſeu agonia.

b) Sterilitas.

c) Abortus.

d) Præternaturalia circa partum.

e) Insolita circa lactationem.

§. 48.

Qualitates ſensibiles alteratae:

53) Calor: quatenus observatori patet.

a) Excessus; ſecundum gradus.

b) Defectus; gradus frigoris.

c) Modificatio, cum detur mordax &c.

Quoad ea omnia notandum, an

α) particularis ſit, quasnam partes occupet, an vero

β) universalis.

54) Phænomena electrica.

55) Incendia.

56) Color. Tam faciei, quam reliquarum partium. Mutationes constantes, transitoriæ.

57) Magnitudo partium, & quarum?

a) absoluta: ratione habita ad ætatem &c.

b) respectiva: ad reliquas.

Huc

Huc ergo:

Turgor, Tumores, Excrescentiæ, Meteorismus, Graviditas, Collapsus, Macies, Tabes.

58) Mutatio figuræ, directionis, partis hujus, illiusve, præcipué etiam vultus, physiognomiæ, ubi respiciendum: ad tempora, auriculas, frontem, nares, genas & maxillas, labia & mentum, (quæ singulariter mutata faciem Hippocraticam constituunt,) os internum, ejus, ut & linguæ, labiorum, narium habitum, nec non dentium, ac gingivarum, faucium.

59) Oculorum mutationes:

a) Splendor, auctus, minutus, deperditus.

b) Harmonia, Retractio &c.

60) Situs & nexus partium: Distorsiones, luxationes, coalitiones.

61) Solutiones continui, vulnera, fracturæ, fissuræ, ulcera.

62) Mobilitas excedens, deficiens: vacillatio, acrasia.

63) Stabilitas — dentium, capillorum, unguium.

64) Durities, mollities partium.

65) Lævitas, asperitas, inæqualitas, ſiccitas, humiditas; Quorsum & exanthemata.

66) Odores, quales, unde?

67) Strepitus, ſoni. Ubi, unde? ſponte provenientes,
excitati per niſum, motum, tactum, percusſionem, tractionem: deglutitionem, borborygmi, ſtrepitus in herniis, resonantia thoracis, abdominis, ſtridor artuum, articulorum.

68) Peregrina, corpori, parti adhærentia, infixa, in eo nidulantia,

tia, ut sordes, insecta, sæpe per microscopia detegenda.

69) Habitus ad medicamenta, tam in genere, quam in specie, ratione capiendi, effectus, tam in morbo præsente, quam in aliis.

§. 49.

Si quæ horum phænomenorum vel symptomatum desunt, eorum mentio non fit, nisi quidem hoc vel illud in morbo præsente exspectandum fuisset, & præter consuetudinem jam deest.

§. 50.

Sic quandoque prodromi sunt plane nulli.

§. 51.

Dein progreditur Nosographus ad symptomata & signa morbi præsentis, formati, percurrendo catalogum phænomenorum, modo recensitorum. §. 44 - 48.

§. 52.

Occurrit hic primum morbus incipiens, ubi notanda consueta hujus ſtadii, vel temporis duratio.

§. 53.

Pariter ita consideratur morbus progrediens.

§. 54.

Nec non in ſtatu positus; (ſi quidem manifesta ejusmodi ſtadia habet.)

§. 55.

Sequitur declinans, ad finem properans, ſive

a) in convalescentiam

per α) vires naturæ, quibus aut per modum criseos perfectæ, imperfectæ, ſimplicis, compositæ

aut per modum lyseos,

quarum ſigna antecedentia, concomitantia, ſubsequentia ex phænomenorum recensione petenda,

β) au-

β) auxilium artis, fortunæ: adeoque inseri possunt historiæ therapiarum methodicarum, empiricarum, mixtarum, prodigiosarum, nec non fortuitarum.

b) In alium morbum, ſive leviorem, ſive pejorem,

per modum metastaseos, aliorum transituum, metaschematismorum.

Sive ſponte, ſive arte, felici, ſinistra.

Alleganda ſigna ejusmodi mutationum, imminentium, præsentium.

c) In mortem.

Signa propius, remotius instantis, quæ pro ratione morborum variant.

Subnecti possunt historiæ therapiarum frustra adhibitarum, nocivarum.

§. 56.

Dantur etiam effectus morborum ſalutares, qui notandi.

§. 57.

Status convalescentiæ quandoque diu durans aliqua á ſtatu ſano aberrantia habere ſolet, ut irritabilitatem, atoniam, maciem, pallorem, dyspepsiam, proclivitatem in ſudores &c.

§. 58.

Nonnunquam restant quoque damna permanentia quoad figuram, pulchritudinem, usum partium, integras facultates & functiones.

§. 59.

Morborum recidivorum mentio facienda, an, quomodo, ſub quibus conditionibus accidere ſoleant, an priori quoad omnia ſimiles, nec ne?

§. 60.

Ex his omnibus æstimatur

Periculum — quale? an vitæ, an ſanitatis, ut damnum quoddam permanens restet, an longæ tantum durationis, quoad dolores &c. præsens, urgens — ſerotinum.

In genere.

In ſpecie.

§. 61.

Allegantur ſigna, periculum in ſpecie, ejus gradum, nunciantia, & ſic prognosis formatur.

§. 62.

Porro enumeratur ratio cadaverum, eo morbo defunctorum.

Rigor, flacciditas,

Putredo cita, lenta,

Hæmorrhagiæ.

Alia phænomena.

§. 63.

Dein ſectio cadaverum,
partium ſingularum,
etiam á vivo ſeceden-
tium, amputatarum,
rescissarum.

§. 64.

Conferenda quoque ad historiam:
Ejus Singularia, nempe:
Morbi frequentia, ubi terrarum?
Loca natalia.
Genius endemius,
epidemicus
contagiosus.
Anni tempora, quæ amat.
Loca, genus hominum, quæ magis
vexat.
Sexus, ætas, quæ magis obnoxia.

§. 65.

Observationes ſingulares, raræ, paradoxæ, quæ ſuperioribus articulis inseri non poterant, pariter allegari possunt.

§. 66.

§. 66.

Referimus porro ad historiam morbi:

Principia, remotiora
propiora,

per experientiam ſcilicet ceu talia recognita, & à Medico Practico diligenter exquirenda.

§. 67.

Hæc quærenda ſunt in

Seminiis & Dispositionibus præcedentibus, ſubjecto inhærentibus, ſive ſic dictis caussis præparantibus, quorsum pertinent:

a) Aetas,

b) Sexus,

c) Temperamentum, quoad mixtionem humorum, ſystema nervorum, propensionem in pathemata.

d) Cor-

d) Corporis habitus, quorsum:

Proceritas, obesitas, figura & moles capitis, colli, thoracis, artuum, abdominis, pelvis, ſive naturalis, ſive aberrans.

e) Vitæ genus, Diæta, opificium.

f) Consuetudo, quoad diætetica, ſingularia, etiam quoad Venæsectionem, ſcarificationem, usum purgantium, ſudoriferorum &c.

g) Idiosyncrasia.

h) Hæreditas. Quibusnam parentibus natus?

i) Seminia morboſa acquiſita, ex prægressis, vel ante existentibus ſtatibus morboſis, quales ſunt: acrimoniæ variæ, labes visceris alicujus, hyperæsthesia &c.

§. 68.

§. 68.

Secundam partem principiorum constituunt Occasiones, ſive Cauſſæ determinantes.

§. 69.

Ad has referenda tam eæ, quæ ſubito nocent, vel morbum quendam producunt, quam illæ, quæ per diuturnum abuſum corpus ita mutant, ut in hoc ſeminium ad futurum morbum naſcatur, qui dein vel per repetitionem ejusdem vitii, vel per alium diætæ errorem in actum deducitur.

§. 70.

Inter eas referenda:

a) Plura diſponentium, aucta, usque dum per ſe in morbum erumpant.

b) Aër, calidus, frigidus,
Humidus, ſiccus,
Mutationes & combinationes harum qualitatum ſubitaneæ.
Series tempeſtatum:
Status electricus.
Fixus, mephiticus, phlogiſticus, clauſus, putridus, exhalationibus variis, etiam venenatis, pulvere, ſordidus.
Venti.
Anni tempora,
& his reſpectibus: Domicilium, habitatio.

c) Aqua, calida, frigida,
pura, impura, mixta,
ſive pota, ſive corpori aliter admota.

Mo-

Modus bibendi, an uno haustu nimium?

An corpore calente? Ordo, ratio ad cibos.

d) Potulenta alia.

Vinum, quale? quantum?

Spiritus ardentes, ſimplices, compositi,

Cerevisia.

Lac, Coffée, Thée, Coccolata.

e) Cibi.

Quinam, quales?

Quantitas,

Permixtio inter ſe, cum potulentis.

Condimenta.

Modus capiendi: voracitas, masticatio,

Calor, frigus,

f) Motus & quies.

g) Situs & positurae corporis varii, decubitus, ſtatio &c. Singularia artificum.

h) Somnus & vigiliae. Ordo. Ratio cum laboribus.

i) Usus tabaci incensi, per nares attracti. Odoramentorum.

k) Usus vitrorum concavorum convexorum.

l) Lux, tenebrae.

m) Excernenda:
Sive profusa, ſive retenta.
Alvus, urina, ſudor, transpiratio, ſaliva, mucus, lac, ſemen, liquor genitalis foemininus, foetus, ſanguis.

n) Animi pathemata:
Ira, terror, timor, anxietas, invidia, Zelotypia, amor vehemens, frustratus, indignatio, luctus, tristitia, gaudium.

o) Ener-

o) Energia imaginationis.

p) Mentis exercitationes immodicæ, neglectæ.

q) Vestimenta, Integumenta, quorsum & Inunctiones, cosmetica, comatio,

r) Stragula.

s) Locus cubilis.

t) Potentiæ sequuntur violentæ:

α) Mechanicæ; sive exoterice agentes, unde: vulneratio, ictus, pressio, contusio, distractio, distorsio.

Sive deglutita: hærentia in faucibus, oesophago, ventriculo, intestinis,

Sive per tracheam, nares, oculos, aliosve aditus CH. intrantia.

β) Chemicæ. Venena,
ſpecie cibi, potus, medicamenti, clysmatis, ſuffumigii, unguenti, ſternutatorii, halitus, vel per ulcera, vulnera intrantia.

γ) Physicæ: Ignis, frigus ſummum, calor, ſol, electricitas, fulmen, magnetis vires, infectiones quævis, & contagia, potentiæ animatæ.

u) Morbosæ constitutiones, (quæ quidem etiam *ſaltem ex parte* ut ſeminia considerari possunt), ut reliquiæ morbi prægressi, debilitas, acrimonia humorum, ſtases internæ, metastases. Morbi olim perpessi, ſuppressi, adhuc ſubsistentes, ut herniæ, hæmorrhois, hysterorrhoea, ſtruma, exanthemata, ulcera &c.

w) Concursus plurium occasionum.

§. 71.

§. 71.

Pars ſpeculativa nosographiæ comprehendit:

Ratiocinium pathologicum ſeu Explicationem omnium phænomenorum, ſive Philosophiam morborum, evitando, quantum fieri poteſt, hypotheſium & paradoxorum ſectationem.

§. 72.

Præmitti poſſunt præcipuæ opiniones, tam Veterum, quam recentiorum circa quævis momenta, cum criſi: Dein ſequitur:

§. 73.

Disquiſitio, in modum agendi principiorum, quid quodvis ad morbi *geneſin* conferre potuerit, tam per ſe, quam in concurſu cum aliis.

§. 74.

Determinatio

a) Materiei morbi, (ſi quæ adeſt), quæ propria, determinans, *efficiens morbum* ſit, ſive cauſſæ materialis morbi.

b) Sedis, & mutationis in ea factæ, nec non modi, quo hæc à materia afficitur.

§. 75.

Datur & in plurimis morbis materia morbida, demum per vim morbi effecta, ex ſanis forte humoribus producta, quam vocant materiem morbi ipsam.

§. 76.

Dantur & morbi, ubi ſtricte loquendo nulla materies morbi adeſt.

§. 77.

Explicatio geneseos, naturæ, genii, caussæ proximæ, ipsius *ſtatus interni* morbosi, unde, ſi placet, Definitio realis condi potest.

§. 78.

Sequuntur explicationes ſymptomatum per omnia ſtadia, nec non ipsius decursus, metaschematismorum.

§. 79.

Denique effectuum morbi, periculi, mortis.

§. 80.

Subjungi possunt ratiocinia circa varias methodos medendi, medicamenta, eorum virtutem, modum agendi &c.

§. 81.

Pars demum Practica *ex his omnibus* conclusiones elicit, de iis, quæ
facienda, & quæ
omittenda sint.

§. 82.

Ita, cum morbus imminens animadvertitur, enascuntur indicationes quædam, & simul indicata determinantur, scilicet
auxilia, diætetica,
chirurgica,
pharmaceutica.

Una cum modo applicandi, exhibendi, præservatio, quæ est prophylaxis.

§. 83.

Eodem modo Therapia instituitur in morbo
Incipiente,
Progrediente,
In statu constituti.

De-

Declinante
in ſanitatem,
morbum,
mortem.

§. 84.

Ubi præteriti morbi residua, effeꝭtus, damna ſupersunt, etiam his medela applicanda, præcipue ideo, ne morbus recidivus fiat, quæ Apotherapia audit.

§. 85.

Post ſtabilitas & descriptas ſpecies & ſubspecies, quantum quidem constat, omnibus, fatendum tamen est, naturam exinde nondum exhauriri, potius mixtos & *complicatos* morbos tot esse, & revera obvenire, ut eorum *omnium* mentio impossibilis ſit. Perinde esset, ac ſi quis omnia ac ſingula con-

creta naturalia, qualia in mille museis prostant, ſollicite describere velit. *)

§. 86.

Hinc in ipsa Praxi ſemper adhuc judicio practico opus erit, quod tamen per datam ſufficientem enumerationem & descriptionem ſpecierum in rectam viam facile ducetur.

§. 87.

Alterum Nosologi officium §. 5. est, ut repertos, agnitos, enumeratos, & descriptos morbos rite ordinet; ac confusam cohortem in ſeries competentes collocet; Est enim universalis Eruditorum obligatio, methodum aliquam ſcientificam objectis ſuis applicandi, qua & Docens & Discens compendium

*) Hebenstreit *Vorrede zu Aitkens Anfangsgründen der theoretiſchen und practiſchen Wundarzneykunst &c.*

pendium nanciscatur, ille docendi, hic discendi, systematica nempe adornatio repetitiones evitare facit, quæ confuso ordine jacentia objecta premunt. Dein ex ordine similitudo & dissimilitudo morborum eò clarius elucescunt, & integræ morborum affinium series uno intuitu perspici possunt; nec non recta specierum & subspecierum subordinatio & juxtapositio geneticas ideas ipsas quasi explicat & evolvit, id quod ad faciliorem indolis ipsorum dignotionem haud parum facit: Alius adhuc usus bene ordinati systematis is est, ut, si forte novæ species reperiantur, eæ facile in suos loculos reponi possint.

§. 88.

Ex observatione morborum in individuis, essentialiter, & quoad indolem §. 11. inter se convenientium, species fixæ emergunt, eædemque secundum ju-

justas & constantes leges adornari debent. Hæc ipsa vero ordinatio & subordinatio secundum eadem principia, easdemque leges fieri debet, ac determinatio & agnitio earundem: scilicet interest, ut similes similibus jungantur, in fasciculos colligantur, & sic compactæ justa genera constituant. Quemadmodum vero in isto negotio apparentes modo identitates & similitudines, ut fallaces, & magnos in errores ducentes rejecimus, ita & hîc ad reales, indolem & naturam morborum concernentes similitudines respiciendum esse, facile patet. Adeoque species in tertio aliquo præcipuo essentiali sibi similes collectæ, efficient genera.

Etenim naturali ordine & in negotio genera inveniendi, hæc non prius constitui debent, ac species, sed potius methodo synthetica ex comparatione specierum existentium eruuntur

tur genera, quæ itaque filii ſunt ſpecierum, etsi dein docens per conversionem methodi ſyntheticæ in analyticam genus ſpeciebus præponat, nimirum facta ſemel abstractione, & ſimilitudinibus ſpecierum in unum genus conjectis, hoc ipsum est commodum ordinationis ſystematicæ, ut, quæ ſint communia omnibus ſpeciebus prædicata, præmitti, & repetitiones evitari queant.

§. 89.

Ad constituenda genera opus est tertio comparationis inter ſpecies: Quodnam istud est & esse debet? Ut ſpecies à ſe invicem distinguantur, opus quidem est differentiâ aliqua essentiali, quæ eo ipso ſpecifica fit & audit, nequaquam vero talis vel tanta, quæ non ſatis ſimilitudinum linquat, ut illæ in unum genus necti possint.

§. 90.

§. 90.

Facile patet, hac in re tam fixas regulas dari non posse, quin in Nosologi arbitrio haud ſemel ponatur, an duobus morbis duo genera assignare velit, nec ne? perinde ac istud in Historia Naturali fieri ſolet.

§. 91.

Quævis ſpecies in ſubſpecies divisibilis, ratione posteriorum ut genus ſuperius considerari potest: Et, cum genera in ordines, hi in classes colligantur, ſecundum easdem regulas, §. 88. 89. ascendendo respectus ſubordinationum increscit, & gradus ſcalæ multiplicantur.

§. 92.

Cum autem natura in morborum productione ſystemati alicui uniformi ſe non addixerit, fas est, ut ſystema naturæ, non hæc illi accommodetur

&

& ſubjiciatur, &, quotiescunque res postulat, angusti illi cancelli, quibus omnia modo in Classes, Ordines, Genera, & ſpecies rediguntur, transsiliantur.

Videmus, etiam Scriptores historiæ naturalis limitibus istis non ſemper coërceri, ſed & phalanges, cohortes, coetus, manipulos, missus aliasque, ſubdivisiones ſtatuere. *) Sic & nos naturæ vim non inferemus, & pro re nata ulteriores divisiones & ſubdivisiones, moniti GALENI **) memores, usque ad finem persequemur, etsi modo dicta nomina hactenus negligere animus ſit, contenti, dummodo per continuatas ſubdivisiones genus morbi, vel caput ex asse exhauriatur, & per modum

*) LINNAEUS Philosoph. Botan. §. 155.

**) v. Præfat. p. 7.

modum tabulæ etiam oculo facilis conspectus exhibeatur.

§. 93.

Necesse tamen est, ut totum in unum opus compingatur; Hoc pariter ſcientifice, methodicé fieri debet: Species morborum ad leges ſeveras & immutabiles constitui debent, cum in istis veritas totius Nosologiæ posita ſit, & ſecundum has, ut mox dicetur, indicationes therapevticæ formari debeant; In ordinandis autem *ſuperioribus ordinibus* plus arbitrii obtinet, minusque refert, quo modo ſtruantur, cum ad Therapiam vix ac ne vix quidem ſpectent: Verumtamen & in his, quantum fieri potest, indolis ſimilitudo respici & coli debet: Sic v. g. morbi inflammatorii in una ſerie concinne recensentur. Multa vero morborum genera in uno, & forte momentoso tertio

tio comparationis conveniunt, in alio discrepant; In his casibus disceptari potest, cuinam similitudini præ altera prærogativam tribuere velis, nec raro lanx in neutram partem verget, & penes arbitrium ordinantis erit, cuinam ordini anceps genus subordinare velit.

§. 94.

Quamvis ergo in condendis superioribus ordinibus hoc ita se habeat, sunt tamen aliquæ methodi, etiam eatenus manifesto vitiosæ; ut:

a) Methodus sic dicta *synoptica*, morbos in externos & internos, universales & particulares dispescens.

Per hanc enim similia sæpe separantur, & dissimilia junguntur.

b) Alphabetica, quæ potius nulla est, quam tamen dictionaria, aliique, in morborum simplici re-

 cen-

censione ſubsistentes ſequuntur: Cæterum probat ea ſuperius assertum, ordinationem generum in ſuperiores classes tanti momenti non esse, remque in ſalvo esse, modo ſpecies rite constitutæ ſint.

c) Temporaria, in duratione divisionis fundamenta ponens. Etenim acutus vel chronicus decursus in eundem morbum, & ſæpius in ſpecies diversas unius generis cadere potest; Præterea limites inter morbos acutos & chronicos, quâ tales, arbitrarii ſunt, & vagi.

d) Anatomica, quæ morbos à capite ad calcem recenset; Hanc permulti iniere; Verum, cum idem morbus caput aeque ac artus infestare possit, ſympathici morbi aut male ponantur, aut iterato pro-

proponi debeant, & in multis ſedes aut universalis, aut dubia ſit, etiam hæc vix admittenda erit.

§. 95.

Itaque non ſuperest, nisi aetiolo-
gica, & ſymptomatica. Omnium op-
ima & pulcherrima etiam in his ſupe-
ioribus ordinibus esset aetiologica,
eu potius physica, ſecundum intrin-
ecam naturam morbos collocans, &
amilias eorum constituens; nec plane
npossibilis est, verumtamen id in-
ommodi habet, ſi quidem ei omnia
enera & ſpecies ſubjicere velis, ut
ubinde ſpecies ſuis generibus eripi,
c altiorem legem ſequi jussæ, natu-
alem ſuam ſtationem & affinitatem
erelinquere cogantur: Sic v. c. *Ischu-
ia lithiastica* Emphraxibus, *inflamma-
ria* Phlegmasiis, *ſpastica* Spasmis
ubordinari deberet.

 §. 96.

§. 96.

Symptomatica igitur etsi ad constituendas *ſpecies* plane non quadret, potius *ibi* erronea & noxia ſit, §. 13. tamen pro Claſſibus & ordinibus ſano ſensu assumi potest; Clinicus enim ab eo ordiri debet, quin cogitur, de quo aegri conqueruntur. Hoc autem eo ipso Claſſem, & genus morbi revelat. Adeoque & ego pro norma constituendarum Claſſium ſummarum, & ordinum insequentium assumam Læsiones Functionum, ſeu Functiones læsas, utpote in quibus morborum momentum & periculum consistit, & paucas Mutationes Qualitatum ſensibilium ſubjungam, comprehensuras eos morbos, quorum nomen & reliqua prædicata magis huc, quam ad illas quadrant: Ita ſecundum hos reſpectus ſeptem Claſſes constituendæ mihi visæ ſunt, nimirum

1) Nev-

') Nevronusi, II) Peritropenusi, III) Anapnoënusi, IV) Trophonusi, 7) Eccrisionusi, VI) Genonusi, & 7II) Alloeoses.

§. 97.

Collectio vero morborum indivi- luorum in ſpecies, ſpecierum in ge- iera &c. eo non redit, ut vel una ſpe- ies poſthaberi & negligi possit, quasi ub genere ſuo jam comprehensa: Id quidem facile largior, quod Medicus udicio pollens, regulis therapiæ ca- holicæ bene imbutus, & generis ali- ujus, ſeu capitis pleraſque ſpecies ioscens, unam alteramve omissam, iisi plane extraordinarii & momentosi uid in recessu habeat, ſupplere, & d methodum generaliorem feliciter anare possit, quodsi vero quis, in- genti multitudine morborum ſpecia-

lium quasi perterritus, eos ad pauca capita reducere velit, quale quid fere apud Galenum *) reperies, & Drummond ex neotericis proposuit, **) vehementer errabit, & in devia deducetur, quod vel ex ſuperficiaria ſpecierum generis alicujus intuitione facile eluceſcet.

§. 98.

Generum ſolorum conſtitutio & enumeratio pulchra quidem eſt; Ii vero Noſologi, qui in iſta ſubſtiterunt, & acquieverunt, vero Noſologiæ ſcopo excidisse mihi videntur, qui non is eſt, ut ſerie aliqua morborum bene ordinata quaſi delectemur, & artificem admiremur, ſed ut morbi ita exhibeantur, & collocentur, *ut indicationes therapev-*

rapev-

*) De differentiis morborum. Cap. 4.

**) *Edinb. Verſuche*, II B. n. 25.

rapevticæ prono alveo exinde fluant, id quod ex mera generum constitutione nequaquam erui potest. Et hanc ipsam consequentiam therapevticam ut lapidem lydium genuinæ & faustæ specierum constitutionis considerandam esse duco. Eo respexit jam GALENUS, *) qui ita: „Idemque, quod *per genera speciesque ignota sit morborum divisio*, idcirco medicis à curandi scopis errare contingat, animadvertit HIPPOCRATES, cum nos ad Logicam adhortatur, nostræ vero aetatis, (graviter, & quasi pro-

*) Libro, si quis optimus medicus est, eundem esse Philosophum. Græce: *και μεν γε ὡς ἐκ τȣ μη γινωσκειν κατ' ἐιδη τε και γενη διαιρεισθαι τα νοσηματα, συμβαινει τοις ἰατροις ἁμαρτανειν των θεραπευτικων σκοπων, Ιπποκρατη μεν ἐιρηται προτρεποντι την λογικην ὑμας ἐξασκειν θεωριαν. ὁι δε νυν ἰατροι τοσȣτον ἀποδεȣσιν ἠσκησθαι κατ' ἀυτην, ὡςε και τοις ἀσκȣσιν; ὡς ἀχρηςα μεταχειριζομενοις ἐγκαλȣσι.*

prophetice etiam ad nostra tempora respexisset, addit,) Medici ita ab ejus ſtudio aversi ſunt, ut eos etiam, qui in ea re operam consumant, quasi inutilia tentantes reprehendant.„ Et GAUBIUS: *) „Non est, cur desperent Medici, fore aliquando, ut ingens morborum humanorum numerus, exemplo ab Historiæ naturalis ſcriptoribus petito, in ordinem ſystematicum redigatur, qui ab omni hypothesi, ſectarumque commentis liber, ſola fideli nixus observatione, classes, genera, ſpecies exhibeat, ſuis ſingula characterismis, certis, manifestis, plenis interstincta. Specimina jam nunc a recentioribus edita potius in ſpem erigunt, tentaminibus multiplicatis haud defuturos ſuccessus, remque tanti momenti, ac Bonis ideo omnibus exoptatissimam, ſic tandem feliciter

**) Instit. Pathol. Med. §. 840.

citer perfectum iri, ut non in nominibus duntaxat morborum inveniendis ſeſe utilem præſtet, ſed præcipue facilem ad eruendas curationes viam expediat. „ Addo testimonium SELLII,*) „Dum morbi cujusdam determinationem ſyſtematicam vel hiſtoricam ſecundum hanc differentiam eruimus, ſimul ad ejusdem cauſam materialem, hinc ad naturam, indeque ad indicationes curativas ducimur.„

An vero é contrario morborum peculiarium ſeu ſpecierum conſtitutio, agnitio, nec non ordinatio ad normam identitatis vel ſimilitudinis Indicationum Therapevticarum inſtitui debet? Hæc mens Ill. SELLE eſſe videtur, **) cujus verba hic allego: „Quando itaque medendi ratio normam præbet, ſecundum quam ſimilitudinem morborum aeſti-

*) Pyretol. Introd. §. 28.
**) ibid. §. 34. 35.

aestimamus, ſequitur, ex medelæ analogia ad morborum analogiam concludendum esse, atque tot diversa tunc dari genera, quot diversas curationis methodos. Ut autem curationis officium in plures ramos divisum est, ſic & pro hac ratione plures morborum ſubdivisiones conſici debent. Tractaminis hinc morbi ſimilitudo, quod generaliter, ad causam materialem tollendam, prosequitur, genera morborum determinat. Et quum pro vario, quem occupat, loco, vario quoque modo hæc causæ materialis ablatio perſici debeat, etiam ex hac curationis differentia alia morborum ſubdivisio ſtatuenda est, & ad hanc morborum ſpecies pertinebunt. Et ſic illud, quod generibus in curatione universaliter competit, ordines, eademque ratione classes constituit. Est ergo classis illius medelæ ſimilitudo,

tudo, quæ ordinibus generatim convenit. Ordo ſimilitudinem illius medicandi modi ſiſtit, quo generum curatio univerſaliter perficienda eſt. Genus porro ſimilitudines illius curandi methodi continet, ſecundum quam ſpecies tolluntur. Et ſic ſpecies tandem ex aequatione ſimilitudinum individuis medendi rationis oriuntur.„ Et iterum: *) „Similitudo ergo indicantium morborum diviſiones conſtituit.„ Similem ratiocinandi modum, attamen dubitanter propoſuit CULLEN **) *Die andere Seite, welche die Aehnlichkeit der Krankheiten bey verſchiedenen Menſchen uns zeigen kann, ist die Aehnlichkeit der Mittel, durch welche ſolche geheilt werden. In der That besteht zwar die Aehnlichkeit der Krankheiten in der Aehnlichkeit ihrer nahen*

*) §. 38.

**) l. c. p. 32.

nahen Ursache, es mag nun im übrigen diese Ursache bestehen, worinn sie wolle. Da aber die Mittel, die Krankheiten zu heilen, dieses nur in so ferne bewirken, als diese Mittel die näheste oder unmittelbare Ursache der Krankheiten heben, so müssen auch die Krankheiten, welche durch einerley Mittel geheilet werden, von der nemlichen Natur seyn. Diese Art von Schluss kann sehr vieles beytragen, um zu zeigen, dass sowohl alle Entzündungskrankheiten, die durch das Aderlassen, als auch alle Wechselfieber, die durch die Fieberrinde geheilt werden, von der nemlichen Natur sind. So nüzlich aber auch dieser Saz zuweilen in der Praxi seyn kann, so glaube ich doch, dass solcher trüglich sey und dass er weder in der Praxis, noch in der methodischen Nosologie anders, als nur mit vieler Behussamkeit angewendet werden kann. —

Iisdem principiis adhæret DANIEL.*) Verum enim vero, hoc modo classes, ordines, genera, ſpecies conſtitui non poſſe, præter ea, quæ ipſe ille Auctor**) contra id inſtitutum allegat, etiam inde elucescit, quod non raro una eademque indicatio, una eademque methodus morbis non modo ſpecifice, ſed & generice diverſis, quin ex diverſis claſſibus naturalibus depromtis applicari aequo jure poteſt: Qui generales methodos in Therapiis catholicis conſignatas, earumque ad tam diverſa mala applicabilem uſum rite contemplatur, ſubinde in exempla probantia impinget. Quot morbis medetur Emeſis, quot purgatio primarum viarum? Quis autem iſtos generice vel ſpecifice identificare velit? Hydrargyrum tollit hydrocephalum & ſyphilidem, anginam gan-

*) Syſtem. aegritud. T. II. Praefat. p. VI.

**) §. 41.

gangrænosam & ſcabiem, medetur glandulis tumidis & vermibus: Quænam autem his intercedit ſimilitudo? Therapia ſequitur naturam morbi, hâcque est posterior, minime vero hæc illam, adeoque hanc normam pro characteribus, & divisionibus morborum constituendis assumere non possumus.

§. 99.

Et his quidem principiis ſuperstructum Systema Nosologicum exoptatissimam harmoniam artis & naturæ exhibebit, objectiones & opprobria, Nosologiæ ſystemata hactenus carpentia, ſpero, diluet, *delebit odiosam illam distinctionem inter methodum naturalem & artificialem*, *cum hæc utramque coadunet*, *vel potius identificet*, & lucidam Praxi facem præferet, prout id abs methodo genetica, physica, naturæ accommodata & conveniente exspectari potest.

§. 100.

§. 100.

Summorum generum, Classium &c. Ordinatio & ſucceſſio quanquam adeo ſeveris legibus non adſtringitur, decet tamen eos morbos priores tradere, qui aut frequentiores occurrunt, aut ſimpliciores ſunt, & cum aliis miſceri, complicari ſolent, ut hi poſteriores eò clarius intelligantur: Prout autem in tanta rerum multitudine fieri vix poteſt, quin hujus illiusve generis recurſus in diverſis ordinibus vel claſſibus obveniat, ſive ob morborum naturam compoſitam, ſive propter τo arbitrarium, quod in claſſium conſtitutione obtinet, iſtud morari non debet, cum ſufficiat, id ſimpliciter indicare, & Lectorem ad locum, ubi prius tractabatur, relegare.

§. 101.

Species unius generis complures quandoque invicem miſcentur & complican-

plicantur, unde novus ſpecierum numerus & calculus exsurgeret, ſi quidem eo usque procedere liceret: verum hæc prout una ex parte Medicis a priori jam cognita ſunt, & altera ex parte combinationes in infinitum fere extenderentur, ſufficiet, ſemel pro ſemper monuisse, dari ejusmodi mixtiones & complicationes, quæ itaque ad calcem ſingulorum generum ut appositas cogitabit B. L.

§. 102.

Species, de quarum existentia & veritate nondum omne dubium ſolutum est, ſigno ? notavi. Et hæc de proposito, ſcopo, & oeconomia hujus ſystematis dicta ſufficiant.

CLAS-

GLOSSARIUM,

SIVE

INTERPRETATIO

TERMINORUM TECHNICORUM,

IN HAC

NOSOLOGIA OCCURRENTIUM,

HACTENUS

NONDUM UNIVERSALITER RECEPTORUM.

Acampticus. ἀκαμπτικος. ex rigiditate. ab ἀ priv. & καμπτω. flecto.

Acathartus. ἀκαθαρτος. Saburralis, ex relictis impuritatibus quibuscunque, maxime gastrica. ab ἀ priv. & καθαιρω. purgo.

Acholicus. ἀχολικος. ex defectu bilis. ab ἀ priv. & χολη. bilis.

Achoricus. ἀχωρικος. ex achoribus.

Acineticus. ἀκινητικος. ex defectu motûs. ab ἀ priv. & κινεω moveo.

Acrates. ἀκρατης. Sine viribus, impotens. ab ἀ priv. & κρατος. robur.

Acratia. ἀκρατεια. Impotentia, Incontinentia. ab ἀ priv. & κρατω. teneo.

Acrobysticus. ἀκροβυστικος. ad præputium pertinens. ab ἀκροβυστια. præputium.

Acronyx. ἀκρωνυξ. ex impressione unguium. ab ἀκρος. extremus, & ὀνυξ. unguis.

Actinobolus. ἀκτινοβολος. Radios formans. ab ἀκτιν. radius, & βαλλω. jacio.

Adenemphraxis. ἀδηνεμφραξις. Obstructio glandularum. ab ἀδην & ἐμφραξις.

Adenitis. ἀδηνιτις. Inflammatio glandularum.

Adiaphanes. ἀδιαφανης. Opacus. ab ἀ priv. & διαφανης. pellucidus.

Adiapnevstia. ἀδιαπνευςια. Suppressio transpirationis. ab ἀ priv. & διαπνευςια. transpiratio.

Adiapnevsticus. ἀδιαπνευςικος. ex suppressa transpiratione.

Adynamicus. ἀδυναμικος. ex functionis impotentia, turbatione. sine vi debita procedens. ab ἀ priv. & δυναμις. vis

Aedœogargalicus. αἰδοιογαργαλικος. ex titillatione obscoena. ab αἰδοιον. genitale, utriusque sexus, & γαργαλιζω. titillo.

Aeolecthyma. αἰολεκθυμα. Variola. ab αἰολος variegatus, & ἐκθυμα. efflorescentia.

Aeolecthymaticus. ex variolis.

Aeollion. αἰολλιον. Varicella.

Aërius. ἀηριος. ex aëre. ab ἀηρ. aër.

Aëroph-

Aërophthoricus. ἀηροφθορικος. ex aëre corrumpente. ab ἀηρ & φθειρω. corrumpo.

Aesthematonusus. αἰσθηματονυσος. Morbus ſensuum, ſensationis, organorum ſensoriorum. ab αἰσθημα. ſensus, ſensatio, & νυσος. morbus.

Agalactia. ἀγαλακτια. Defectus lactis. ab ἀ priv. & γαλακτεω. lac habeo.

Agonia. ἀγονια. Generandi impotentia masculina.

Agriothymia. ἀγριοθυμια. Animi ferocitas. ab ἀγριος. ferus, & θυμος. animus.

Allœosis. ἀλλοιωσις. Mutatio qualitatum ſensibilium. ab ἀλλοιοω. muto.

Allolalia. ἀλλολαλια. Elocutio insolita, peregrinorum.

Allomorphus. ἀλλομορφος. Alias formas repræsentans. ab ἀλλος alius & μορφη. forma.

Allotriuria. ἀλλοτριυρια. Mictio peregrinorum, insolitorum.

Alysma. ἀλυσμα. Anxietas.

Alysmaticus. ex anxietate.

Amblyhaphia. *ἀμβλυάφια.* Tactûs obscuritas. ab *ἀμβλυς.* obscurus, & *ἅπτω.* tango.

Amblyopia. *ἀμβλυωπια.* Visus obscuratio. ab *ἀμβλυς.* obscurus & *ὤψ.* oculus.

Ameleticus. *ἀμελετικος.* ex incuria, negligentia. ab *ἀμελεω.* negligo.

Amenorrhoea. *ἀμηνοῤῥοια.* Emansio menstruorum. ab *ἀ* priv. & *μηνοῤῥοια.*

Amyxodes. *ἀμυξωδης.* ex defectu muci. ab *ἀ* priv. & *μυξη.* mucus.

Anaboëticus. *ἀναβοητικος.* ex vociferatione. ab *ἀναβοητις.* vociferatio.

Anæmatopoëticus. *ἀναιματοποιητικος.* ex denegata ſanguificatione. ab *ἀ* priv. & *αἱματοποιησις.* ſanguificatio.

Anhaphia. *ἀναφια.* Tactus abolitio, ab *ἀ* priv. & *ἁφη.* tactus.

Anapnoënusus. *ἀναπνοηνοσος.* Morbus respirationis. ab *ἀναπνοη.* respiratio, & *νοσος.* morbus.

Anarrhopia. *ἀναῤῥοπια.* congestio ad ſuperiora.

Anar-

Anarrhopicus. ex congestione versus superiora.

Anasisticus. ἀνασεισϛικος. ex concussione. ab ἀνασειω. concutio.

Anastrophicus. ἀναϛροφικος. ex inversione. (revolutione). ab ἀναϛροφη. inversio.

Ancteriasticus. ἀγκτηριαϛικος. ab infibulatione. ab ἀγκτηριαζω. infibulo.

Anepiploicus. ἀνεπιπλοϊκος. ex absentia omenti. ab ἀ priv. & ἐπιπλοον. omentum.

Angiemphracticus. ἀγγειεμφρακτικος. ex emphraxi vasorum. ab ἀγγειον. vas. & ἐμφραξις.

Angievrysmaticus. ἀγγειευρυσματικος. ex vasorum dilatatione p. n.

Angiicus. ἀγγειικος. ad vasa pertinens.

Angiopleroticus. ἀγγειοπληροτικος. ex vasorum obrutione, nimia repletione. ab ἀγγειον & πληρωσις.

Angiorrhagicus. ἀγγειοῤῥαγικος. ex vasorum hæmorrhagia.

Angiostegnoticus. ἀγγειοστεγνωτικος. ex vasorum angustia. ab ἀγγειον & στεγνωσις.

Angiosteogenes. ἀγγειοστεογενης. ex ossificatione vasorum.

Anileticus. ἀνειλητικος. ab evolutione. ab ἀνειλησις. evolutio.

Anodicus. ἀνοδικος. ex viæ denegatione. ab ἀνοδια. iterimpervium.

Anoricus. ἀνωρικός. præmaturus, ex immaturitate.

Anosmia. ἀνοσμια. defectus odoratus.

Antagonopathicus. ἀνταγονοπαθικος. ex affectione antagonistarum.

Anthematischeticus. ἀνθηματισχετικος. ex suppressis exanthematibus. ab ἀνθημα & ἰσχω. reprimo. sisto.

Anthropophthorus. ἀνθρωποφθορος. ex corruptione humana. ut exhalationes, aër &c. ab ἀνθρωπος. & φθειρω. corrumpo.

Antistaticus. ἀντιστατικος. ex reluctatione. ab ἀντιστατεω. reluctor.

Apanthropia. ἀπανθρωπια. morositas.

Aphe-

Apethisticus. ἀπεθιςικος. ex desuetudine. ab ἀπεθιζω. desuefacio.

Aphæreticus. ἀφαιρετικος. ex ſeceſſione, distractione, ablatione. ab ἀφαιρεω. aufero.

Aphedronius. ἀφεδρωνιος. ex cloacis. ab ἀφεδρων. cloaca.

Aphoria. ἀφορια. Sterilitas muliebris.

Aphoricus. ex ſterilitate.

Aphrodisiacus. ἀφροδισιακος. ex actibus venereis.

Apiricus. ἀπειρικος. ex imperitia.

Apocyesticus. ἀποκυηςικος. ex partu, puerperio. ab ἀποκυησις. partus.

Apogalactisticus. ἀπογαλακτιςικος. ex ablactatione. ab ἀπογαλακτιζω. ablacto.

Apolyticus. ἀπολυτικος. ex avulsione.

Apopnicticus. ἀποπνικτικος. ex ſuffocatione. ab ἀποπνιγω. ſuffoco, ſtrangulo.

Aporicus. ἀπορικος. ex inopia, depauperatione. (humorum) ab ἀπορος. pauper.

Apostrephicus. ἀποστρεφικος. ex congestione aversa, aliorsum facta. ab ἀποστρεφω. averto.

Aposyrma. ἀποσυρμα. desquamatio.

Apothanaticus. ἀποθανατικος. ex morte.

Apragmon. ἀπραγμων. Iners, scopum non attingens.

Archicus. ἀρχικος. ad intestinum rectum pertinens. (ex intestino recto.) ab ἀρχος. intestinum rectum.

Archoptosis. ἀρχοπτωσις. Prolapsus intestini recti.

Archoptoticus. ex prolapsu intestini recti.

Archosyrinx. ἀρχοσυριγξ. Fistula ani. ab ἀρχος, & συριγξ. fistula.

Arterievrysma. ἀρτηριευρυσμα. Arteriæ dilatatio p. n.

Arthricus. ἀρθρικος. ad artus pertinens. ab ἀρθρον. artus, membrum.

Asboloticus. ἀσβολωτικος. ex fuligine. ab ab ἀσβολοω. fuligine inficio.

Asciasticus. ἀσκιαστικος. ex defectu umbræ.

Asphy-

Asphyxia. ἀσφυξια. Defectus pulsûs.

Astasia. ἀςασια. Inquietudo.

Astates. ἀςατης. Vacillans, infirmus, ex vacillatione.

Asthenia. ἀσθενεια. Debilitas.

Asthenicus. ex debilitate.

Asynodicus. ἀσυνοδικος. ex impedito concubitu. ab ἀ priv. & συνοδος. congressus.

Atacticus. ἀτακτικος. ex inordinatis motibus, functionibus.

Athelasmus. ἀθηλασμος. Impotentia lactandi.

Athymia. ἀθυμια. Animi demissio.

Athymicus. ex animi demissione.

Atmicus. ατμικος. ex vaporibus. ab ἀτμος. vapor.

Atonicus. ἀτονικος. ex remissione toni. ab ἀ priv. & τονικος. Firmus.

Auchenicus. ἀυχηνικος. ex collo, cervice. ab ἀυχην. collum, cervix.

Ballismus. βαλλισμος. Tripudatio ſpastica. Chorea St. Viti.

Ba-

Baryglotticus. βαρυγλωττικος. ex gravi, tarda lingua. a βαρυς, gravis, & γλωσσα. lingua.

Barylalia. βαρυλαλια. Loquela tarda, impedita. a βαρυς, gravis, & λαλια. loquela.

Baryphonia. βαρυφωνια. Vox gravis, bassa. a βαρυς gravis & φωνη. vox.

Basanisticus. βασανιςικος. ex tortura. a βασανιζω. torqueo.

Bascaneticus. βασκανητικος. ex fascinatione, nefandis, arcanis veneficiis, & actionibus in imaginationem alterius.

Bdellicus. βδελλικος. ab hirudine, a βδελλα. hirudo.

Bechicus. βηχικος. ex tussi.

Biasticus. βιαςικος. ex violentia. a βιαζω. vim infero.

Blacodes. βλακωδης. ex torpore.

Blæsosis. βλαισωσις. Vitium quoddam loquelæ.

Brachyticus. βραχυτικος. ex brevitate. a βραχυς. brevis.

Bra-

Bradybolicus. *βραδυβολικος.* ex retardata ejaculatione. a *βραδυς* tardus, & *βολη.* jactus.

Brephicus. *βρεφικος.* ad foetum pertinens. a *βρεφος.* foetus.

Cacocisticus. *κακοκειςικος.* ex maligno corporis Situ. a *κακος.* & *κειμαι.* jaceo, ſitus ſum.

Cacocholicus. *κακοχολικος.* ex prava bile. a *κακος* malus, & *χολη.* bilis.

Cacoethicus. *κακοηθικος.* ex prava consuetudine in variis externis, ſitu &c.

Cacoërges. *κακοεργης.* ex depravata functione. a *κακος,* malus, & *εργον.* opera.

Cacogalia. *κακογαλια.* prava lactis constitutio.

Cacomorphia. *κακομορφια.* deformitas.

Cacoplasticus. *κακοπλαςικος.* ex mala conformatione, monstrositate. a *κακος,* malus, & *πλασσω.* fingo.

Cacospermaticus. *κακοσπερματικος.* ex mala ſeminis qualitate. a *κακος* & *σπερμα.* ſemen.

Caco-

Cacotheticus. κακοθετικος. ex prava positione, ſitu.

Cacotrophicus. κακοτροφικος. ex pravis alimentis. a κακος & τροφη. alimentum.

Camatodes. καματωδης. ex labore.

Cardiorrhecticus. καρδιορρηκτικος. ex ruptura cordis.

Capnicus. καπνικος. ex fumo. a καπνος. fumus.

Capsicus. καψικος. ad capsulam ſpectans. a καψα. capsula.

Cardievrysma. καρδιευρυσμα. Dilatatio cordis p. n.

Cardiogmus. καρδιωγμος. Dolor. oppressio cordis.

Cardiotromos. καρδιοτρομος. tremor cordis.

Carphicus. καρφικος. ex festucis, aliisque acutis, irritantibus. a καρφος. festuca.

Cataclinicus. κατακλινικος. ex decubitu. a κατακλινομαι. decumbo.

Catadyicus. καταδυικος. ex ſubmersione. a καταδυω. ſubmergo.

Cata-

Catalyticus. καταλυτικος. ex dissolutione. speciatim humorum, ut τῳ dialytico contradistinguatur. a καταλυω. dissolvo.

Catapiesticus. καταπιεςικος. ex depressione. (maxime cranii) a καταπιεζω. deprimo.

Catarrhophicus. καταῤῥοφικος. ex resorptione. a καταῤῥοπτεω. resorbeo.

Catastaticus. καταςατικος. ex statu. a καταςασις. actus standi.

Catecticus. κατεκτικος. ex retentione p. n. vel corporum præter naturam.

Catharticus. καθαρτικος. depurativus.

Catholicus. καθολικος. universalis. totum corpus afficiens.

Cavma. καυμα. Ardor. Aestus. Sensus caloris.

Celicus. κηλικος. ex hernia. a κηλη. hernia.

Cenoticus. κενωτικος. ex evacuatione, inanitione. a κενωσις. evacuatio, inanitio.

Centeticus. κεντητικος. ex stimulis mechanicis. a κεντεω. stimulo.

Cepha-

Cephalosisticus. κεφαλοσειςικος. ex percussione capitis. a κεφαλη & σειω.

Ceratodes. κερατωδης. ex cornu, cornea excrescentia.

Ceraunicus. κεραυνικος. a fulmine. a κεραυνος. fulmen.

Cerchnasmus. κερχνασμος. Febris miliaris, miliaria. a κερχνος. milium.

Chalasticus. χαλαςικος. ex relaxatione. a χαλαω. relaxo.

Charagmicus. χαραγμικος. ex impressione. a χαραγμα. vestigium.

Charmicus. χαρμικος. ex gaudio. a χαρμα. gaudium.

Chasmus. χασμος. Oscitatio.

Chimethlon. χειμεθλον. Pernio.

Chimon. χιμων. Algor. Frigoris ſensus.

Choeradicus. χοιραδικος. ex ſtruma. a χοιρας. ſtruma.

Cholapragmon. χολαπραγμων. ex inertia bilis. ab ἀπραγμων. iners.

Choledochicus. χοληδοχικος. ad ductum choledochum ſpectans.

Cho-

(Cholelithicus. χολιλιθικος. ex cholelithis. a χολιλιθος.

(Cholocatarrhophicus. χολοκαταῤῥοφικος. ex resorptione bilis.

(Cholorrhoea. χολοῤῥοια. Bilis effusio p. n. a χολη, bilis & ῥεω.

(Choloticus. χωλοτικος. ex claudicatione.

(Chondrexarthreticus. χονδρεξαρθρητικος. ex luxatione cartilaginum.

(Chondricus. χονδρικος. ex cartilagine.

(Chondrodes. (Chondrogenes) χονδρωδης. ex cartilaginescentia. a χονδρος cartilago.

(Chondrodialyticus. χονδροδιαλυτικος. ex læsione cartilaginum.

(Chordapsicus. χορδαψικος. ex volvulo. a χορδαψος. volvulus.

(Chyloclepticus. χυλοκλεπτικος. ex chyli dispendio. a χυλος & κλεπτω. furor, ſubtraho.

